
PALAESTRA PIETATIS, CONTINENS DOCUMENTA SANCTÈ...

Johannes Morawski




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
15 — G
45



PALÆSTRA
PIETATIS,

Continens

Documenta ſanctè vivendi & moriendi.

ATHLETIS MARIANIS,

In Sodalitate Immaculatè conceptæ VIRGINIS DEIPARÆ,

Ad Collegium Poſnanienſe Soc: IESV,

APERTA.


Operâ

JOANNIS MORAWSKI,
ex eadem Societate Sacerdotis.


EDITIO TERTIA

ANNO DEI HOMINIS 1678.

Superiorum permiſſu.



POSNANIÆ.
Typis COLLEGII Societatis JESU.




NOs verò ad maiorem vocati vitam, ad excellentius fastigium ascendimus, & in majoribus exercemur.

PALÆSTRIS.

S. CHRYSOSTOM.

Tom. 5.




Approbatio

IMPRIMATVR.

Posnaniæ &c. 20. Septemb. 1676.

ALBERTUS DOBRZELEWSKI, Officialis Posnaniensis Generalis.



PERILLVSTRI SODALITATI
Sine labe Conceptæ
VIRGINIS MATRIS,
Ad Collegium Posnaniense Soc. JESU
ERECTÆ.
Perillustribus, Magnificis, Generosis
Adolescentibus,
PRÆFECTO eiusdem Sodalitatis
ALEXANDRO SKRZE-
TUSKI;
Assistentibus,
IOANNI OPALENSKI,
Capitaneo Sremensi,
FRANCISCO de ROSEN;
Secretariis,
LVDOVICO THOLI-
BOWSKI,
Castellanidæ Camenensi,
VLADISLAO KO-
ŁACZKOWSKI,
Cæterisq; omnibus Sodalibus Marianis,
Author, Diuinæ Matris gratiam, fauoresque
amplissimos.

N Palæſtram ego iterum vos manu duco, Athletæ Mariani. Quò enim aliò generoſum ætatis ac indolis Veſtræ genium? Eant voluptuarij Alcinoi ad ſua pomaria Heſperiorum æmula hortorum; draconem tamen ibidem inventuri, vel ipſi futuri Tantali. Ruant effuſo impetu ad Minoia viridaria Theſei; præſtò his ſuus erit Labyrinthus ac Minotaurus. In Palæſtram ego vos potiùs, ac in Palæſtram pietatis.

Habet nimirum & Pietas propriam gymnadem & Athleticen ſuam, cui & Macedonum ſtadia, & Corinthi Iſthmi, & philoſophantium porticus, & omnes demum arenæ palmam porrigant.

Cæte-

Cæterum Palæſtram hanc Mariano incluſam circo volui, vt vel intra ſphæræ iſtius limites, quæ olim ſuo ambitu immenſum complexa erant DEUM, veſtra exerceretis ac exereretis ſtudia, vel vt ſupra Montem adeò ſublimem, ipſoque celſiorem Olympo, ſacra hæc decurreretis Olympia, in quo ipſe quoque Vnigena Patris, giganteo paſſu mortalitatis ingreſſus fuerat ſtadium, novus ex Comprehenſore Viator. Dabit effuſo Veſtro curſui prodromum exemplum, per Montana Iudææ feſtinatum ipſius Virginis iter, ac Virginei Numinis tranſilientis colles æternitatis, dum in noſtram lacrymarum Vallem deſcenderet. Quin & ipſa gentilitia Veſtra inſignia,



orbi Sarmatico, irrequieto ad ſummos Famæ Fortunæque apices curſu ſuorum Magni Nominis heredum notiſſima, iſti Nazarethano agoni præibunt, ſeu Gentilitiæ SKRZETUSCIORUM SOLEÆ, ipſa Cruce inſignes, quæ in omni Solo illuſtrium facinorum poſuêre faſtigium: Seu OPALINIÆ NAVES, quæ liquido etiam & infido undarum elemento ſolida Virtutis ſuæ & gloriæ tam in Toga quàm in Sago, æternùm impreſſêre monumenta: Seu ROSSENORUM ROSÆ, quarum familiaris dos eſt, vel hoſtes aculeis configere; vel Victores coronare: Seu THOLIBOWSCIORUM FASCIÆ, novus nimirum cœli Poloni Eclipticæ baltheus, quo præcincti,

æmu-



æmulo Cœlorum motu, agonem hunc decurratis: Seu KOŁACZKOWSCIORUM ABDANCI, geminato Vitæ Symbolo in omnem immortalitatis perennaturi memoriam. Ergo jam apertam vobis Marianam hanc Palæstram fortunato pede ingredimini. Pergite immortalis adoreæ, digni illâ, competitores. Aliud brauium promittere præmittereque non potui, quàm Sanctè Viuendi Moriendique documenta. Nempe non est mortale quod opto, & quò iterata manuductione vos provoco.

Quanquam non iterari duntaxat, sed perennare etiam hæc debe-



deberet, cum non aliam monstret viam, quàm ad Palæstram pietatis.

Vestræ Pietati

Addictissimus

JOANNES MORAWSKI,
Soc: JESU.

CAPVT



CAPVT I.

Proponuntur quædam Principia ſanctè viuendi.

I.

Semel Factum, Dictum, Cogitatum, æternum eſt.



EXplico. Athleta Mariane, feciſti aliquem amore Dei actum heroicum? Vidit illum Deus, qui omnia videt; & quia immutabilis eſt, ſcripſit illum in memoria ſua immutabili, *Nunquam deinceps delendum*: Ergo tu quoque in cœlo Deum videndo, leges iſtum actum tuum heroicum totà æternitate in memoria Dei deſcriptum, atque de ipſo cum Deo Tuo, & Sanctis omnibus tota æternitate gaudebis. Peccaſti? Vidit Deus, hoc infelix tuum peccatum in tali momento, in tali loco com-

commissum, illudque scripsit indelebiliter, vt ait Augustinus, *in Legibus æternis, & in mentibus Angelorum*, ac de illo tota æternitate displicentiam habebit. Ergo Tu quoque, in cœlo quamvis beatus, hoc tuum peccatum, tota æternitate leges, scriptum in legibus æternis, atque illud tota æternitate detestaberis: & sicut fieri non potest tota æternitate, vt quod semel fuit, non fuerit: ita tota æternitate fieri non potest, vt quod semel cogitasti, dixisti, fecisti, à te cogitatum, dictum, factum non fuerit. Adhucne igitur nullius momenti putabis momentum tuæ actionis siue bonæ siuè malæ, quod immenso æternitatis pondere appretiandum est? Adhuc in verbis tuis, cogitationibus, & operibus, non vereberis censuram legum æternarum? Non contendes totus, per tuas omnes & singulas cogitationes, verba & facta, vt in memoria æterna sis iustus.

I I.

Præstat millies mori, quam semel peccare.

ITa verissimè sensit noster Polonus Angelus, Sanctus Casimirus. Vis enim scire, quid sit peccatum mortale? Est imprimis cum recta ratione difformitas tàm deformis, vt pro nullo bono consequendo, etiam pro mille mundis lucrandis, prudenter eligi possit: tàm probrosa Creaturæ rationali, vt meritò dixerit Sanctus Ansel-

Anſelmus, malle ſe ire ad infernum cum innocentia quàm ad cœlum cum peccato mortali. Eſt illa infelix conuerſio, quâ homo, ex amico DEI, fit inimicus; ex filio DEI, filius Diaboli; ex herede Regni Cœlorum, inferni mancipium. Eſt Rebellio creaturæ contra ſupremum Principem, & cum hoſte ipſius Diabolo coniuratio. Eſt contemptus voluntatis Diuinæ, infinito honore & amore digniſſimæ, propter bonum noſtrum prohibentis aliquid, & iſtum contemptum ſuum videntis. Eſt, vt ait Apoſtolus, Conculcatio filij DEI, obſtruentis nobis ſuâ gratiâ viam ad peccatum. Eſt prælatio non Barabbæ, ſed Diaboli, eiuſq; voluntatis, ſupra Chriſtum eiuſque præceptum. Eſt ſanguinis Chriſti adinſtar rei immundæ reputatio, quâ peccans proijcit animam tinctam Sanguine Chriſti in cœnum peccati. Eſt in voto DEICIDIUM, quo, vt ait Sanctus Bernardus, homo peccando vult interimere aut ſapientiam DEI; volendo ne ſuum peccatum videat; aut Iuſtitiam, volendo ne puniat; aut Omnipotentiam, volendo ne poſſit punire, adeoq; vult interimere DEUM, qui ſine Sapientia, Iuſtitia, Omnipotentia, viuere non poteſt. O ſcelus horrendum! Præterea peccatum mortale eſt illa fœditas, cuius vna guttula, id eſt vna cogitatio ſuperba, nobiliſſimam & pulcherrimam creaturam Angelicam, tam turpem, tamq; deteſtabilem fecit; qualis eſt Diabolus. Eſt illa animæ macula, quæ per viam ſatisfactionis, nullo lacry-

crymarum oceano tota æternitate, ex oculis pœnitentibus profluentium, nullo sanguine Martyrum, quamuis numero infinitorum, deleri potest, nisi Sanguine filij DEI. Est tàm inuisa Diuinis oculis turpitudo, vt illa infinita bonitas nihil eorum odio habens, quæ fecit, tamen ad iniquitatem cum maiori horrore respiciat, quàm ad Canem fœtidum, & vermibus scatentem; vsque adeo, vt (quod considerat Blosius) si in purissima Matre Filij DEI, quam supra omnem aliam puram creaturam diligit, vel vnam peccati mortalis deprehenderet labem, illicò illam cœlo deturbaret, ac in præcipitium inferni detruderet. Denique est illa animæ labes, quam æternæ inferorum flammæ (Ah quam atroces!) nunquam tot millionibus annorum excoquere poterunt; quæ tantam DEO displicentiam mouet, vt nullam in suis suauissimis visceribus compassionem habeat, videndo creaturam suam perpetuis incendijs sine fine torqueri, cùm nos vnum canem in igne ardentem, ne quidem per vnum quadrantem sine sensu doloris aspicere possimus. Tanta est malitia peccati Mortalis, vt, si ita loqui fas est, omnem quodammodo tollat compassionem ex dulcissimo DEI corde. Quæ cum ita sint, quomodo tantum malum, vel per vnum diem in anima tua sustines? Cum peius sit, vnum peccatum mortale habere in anima, quàm omnes inferni Dæmones in corpore, vt docet Chrysost. hom. 30. ad popul. & Basilius hom.

13. ad Baptiſ. & ideo Peccans à DEO Patre coram S. Catharina Senenſi appellatur, Dæmon incarnatus. Qua audaciá hac nocte in peccato mortali quieſcere præſumis, quà fortè dæmones repetent a te animam tuam? Cur tam facile? Tam frequenter peccas? & quidem non in abſentia, ſed in facie DEI, omnia videntis; DEI, qui tibi nihil mali fecit, ſed potius te tot bonis cumulauit; DEI, in quo ſunt infinita motiua amoris, qui te dum peccas, in eodem inſtanti præcipitare in infernum poteſt. Et peccas abutendo eius concurſu, alijſq; eius beneficijs contra ipſum; peccas non vt placeas alteri DEO, ſed vt placeas Diabolo; peccas non vt acquiras aliquod Regnum temporale, ſed vt amittas æternum. Si bellua, ſi Ethnicus, ſi Diabolus eſſes, fortè aliquam excuſationem poſſes prætendere, nunc verò cum credas filium DEI pro te mortuum eſſe, ne illum offendas, cum te DEUS tot minis à peccato deterreat, tot beneficijs ad ſe alliciat, ah quid ei iudicanti reſpondebis? Heu miſerere animæ tuæ? Quid enim in te peccauit anima tua? Egeſtatem fugis, quæ te diuitijs priuat, & non fugis peccatum, quod te priuat gratia DEI, Virtutibus infuſis, omnibus meritis per tot annos congregatis; ita, vt ſi infinitos gradus gratiæ haberes, ſi merita numero infinita, omnibus te in vno inſtanti priuaret? Horres mortem, quæ te priuat vitâ temporali ærumnoſà, & non horres peccatum, quod te priuat iure ad vitam felicem interminabilem?

Demum

Demum febriculæ ardores, vno die pati non potes; nec digitum igni admotum per aliquot momenta ſuſtines; & toties peccando reſoluis te ad habitandum in ardoribus ſempiternis, in igne deuorante? Et quid ſi hoc peccatum quod committere vis, erit vltimum complementum menſuræ, quam tuis peccatis deſignauit Divina prouidentia? Quid ſi poſt hoc peccatum te proijciet in æternum à facie ſua DEUS, nec tibi gratiam efficacem ad pœnitentiam largietur?

III.

Nihil eſt certius morte, nihil incertius horâ mortis.

IMmobile ſtatutum eſt, omnibus hominibus ſemel mori. Quotquot fuerunt ante te homines, & quotquot te ſequentur, aut mortui ſunt, aut morientur: tu quoq; migrabis hinc omnino, nec ſemper, nec diu manebis hic, nec vſquam, ſupra terram; ſed vel infra terram, vel in cœlo, breui manendum tibi eſt, & ſemper manendum. Quid curas vnius diei hoſpitium? quid amicos non niſi hodiernos? nec vltra craſtinos? hodie ſunt, cras tecum non erunt. Nec tibi per longum iter æternitatis comites erunt. Breui te deſeret iſta formæ venuſtas, deſerent diuitiæ, voluptates, honores, deſeret mundus. Sola te virtus ſequetur: *Solus* IESUS *omnibus recedentibus non recedet.* Cætera

omnia

omnia fucum nobis faciunt, dum viuimus, viuentibus pretiosa, vilia morientibus. Heu quantam illorum vanitatem Cereus lustralis ad vesperam mortis deteget! Sed serum erit tunc aperire oculos, cum in morte claudentur. Quod tunc te egisse optabis, nunc age. Punctum quod viuis, fortè vltimum est, &, vt ait Tertullianus, *Christiano Crastinum non est*. Vis mortem Sanctorum pretiosam? viue vitam Sanctorum pretiosam: times mortem peccatorum pessimam? fuge vitam peccatorum. *Et quia nescis vbi & quando te mors exspectet, tu illam semper & vbiq; exspecta.*

IV.

Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat. S. Greg.

O Voces horrendas, *Æternum*, *Nunquam*, *Semper*. Ah semper, quod finietur nunquam. Ah nunquam, quod durabit semper. Ah æternum, quod nunquam finietur, quod semper durabit. Vis nosse quid sit Æternitas? Est Circulus, cuius initium semper est, medium & finis nunquam. Est rota, quæ semper voluitur, quiescit nunquam. Est orbis, qui tibi desinit, incipit, & incipiendo nunquam desinit. Deme æternitati mille annos, deme mille millia annorum, deme tot seculorum milliones, quot stellas numerat cœlum, quot atomos aër, quot guttas oceanus, nec vnicum momentum æternitati

tati detraxisti; tam enim manebit infinita, quam ante fuit, manebitq; tam diu, quàm diu DEUS perseuerabit esse DEUS. Hæc ergo æternitas infelix, tam animi quam corporis cruciatibus plena, vnius momentaneæ delectationis pœna est. O DEUS, ergo ne vnius diei febricula molesta nobis est? si tibi eodem in molli lecto, inter morsum pulicum per vnam noctem decumbere, durum est; digitum ardenti candelæ admotum vnicâ horâ tenere, intolerabile: Ah quid, semper, & æternum à visione DEI exulare, igne atrocissimo vri, die noctuque mediam inter caliginem, fumum ac sulfur versari, excruciari modis omnibus, sine vllo solatij leuamento, inter eiulatus lamentabiles, ac rugitus damnatorum, in contubernio Dæmonum viuere, desperatione rumpi & rabie nunquam lenienda, sicque viuere æternum moriendo, & mori æternùm viuendo? ô semper! ô nunquam! ô æternitas! Vtinam frequentius menti nostræ occurreres, quàm nobis amaras redderes mundi omnes voluptates.

V.

Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth: 16.

TAnti æstimat animam nostram, omnia ponderans in mensura & pondere æquissimo

mo Dei Sapientia Incarnata, vt ipsius iudicio totum lucrum, quod ex orbe vniuerso colligi potest, nullius momenti præ anima nostra sit, & prorsus nihil sit. Iniquus emptor Diabolus est, qui pro anima, Regna omnia mundi offerens dicit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Maiori illam pretio emit Sapientissimus negotiator Christus, quia infinito Thesauro sui sanguinis ac meritorum redemit, vsq; ad extremam paupertatem, vsq; sui exinanitionem, amore animæ nostræ redactus. Egone igitur tam stultus mercator sim, qui animam meam non pro Regnis omnibus mundi, sed pro momentanea voluptate, pro evanido honoris fumo, Diabolo æternum vendam! Heu quantum damnum animæ vnicæ, animæ æternæ detrimentum! *Si vna manu priuatus fuero, alterâ vti potero; si vno pede mutilatus fuero, alter manebit residuus; si aurem dextram amisero, supererit sinistra; si vnus oculus deficiet, alter erit solatio: At animam habeo duntaxat vnicam & æternam, quam si semel amisero, iam nulla est reliqua. Vna est, quæ pro centenis mihi esse debet & millenis, hanc si perdo, perdidi æternùm; si lucror, pariter æternùm lucratus sum; hanc vbi saluam fecero, iam quod metuam non habeo æternùm: vbi semel perdidi, neq; quod sperem super est æternùm, quia anima vnica est, æterna est.*

VI.

VI.

Bonum Gratiæ vnius, eſt maius, bono totius naturæ vniuerſi. S. Tho: 1. 2. q. 113. art. 9. ad 2.

AVrum tibi placet, gemmas quæris, & colligis o homo? quid ſi hoc momento mundum aureum & gemmeum, quid ſi mille & plus quàm mille mundos aureos & gemmeos tibi ſtatuam facilè comparandos? En vnicus Sanctificantis Gratiæ gradus, Bonum totius naturæ vniuerſi, adeoq; mille mundos aureos & gemmeos pretio ſuperat. Et quidni ſuperet? qui infinito pretio meritorum Chriſti emptus eſt; quo; Regnum Cœlorum & immenſa æternitatis beatæ gloria condignè emitur. Quæris iam, quo pretio hanc gemmam ſic pretioſam emas? Sacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequens ac dignus vſus, charitatis opera, vnica ſancta cogitatio, vnicus bonæ voluntatis actus, pretia ſunt, quibus gemma hæc inæſtimabilis comparatur. O quot Theſauros pluſquam aureos, pluſquam gemmeos colligeres vel per vnum diem; ſi talibus actibus, cogitationibus, operibus totum diem impenderes? Quot tibi pereunt tam pretioſa lucra, cùm ſine bonis actibus pereunt dies? Ergo hic te decet maximè avarum eſſe, vnicam æſtima & cura DEI gratiam, & non vnicam: vnicam, quia præ omnib⁹ alijs bonis creatis quærendam; non vnicam,

quia

quia per plurimos gradus continuo augendam, vt dicere possis ignito S. IGNATII corde: *Amorem tuum Domine cum Gratia tua mihi dones, & Diues sum satis, nec vltra quidquam posco.*

VII.

Seruire DEO, regnare est.

NOn est tam abiecta seruitus DEI, quam exteriùs apparet. Omnes serui DEI Reges sunt, quia sibi suisque passionibus dominantur. Reges sunt, quia intra illos est Regnum DEI, lla scilicet pax conscientiæ, illud gaudium Spiritus Sancti ineffabile. Reges sunt, quia iuxta Christi promissionem ipsorum est Regnum cœlorum. Reges sunt, quia simul amici & filij Regis Regum. O beatam servitutem cunctis egum solijs altiorem! Sensêre hoc magni mperatores, Reges & Principes, qui vt DEO erfectiùs seruirent, sceptra, purpuras, & diaematata cum vita Religiosa commutarunt. Tas fuerunt, vt refert Hieronymus Platus de ono status Relig. lib. 2. c. 26. Imperatores in iente, Anastasius, Theodosius, Michael vtere; In occidente Lotharius & Hugo: tales è gibus in Italia Rachisius & Pipinus; in Hinia Veremundus, Ramirus; in Anglia Sigertus, Elteredus, Henredus; in Germania Calomannus & alij. Regum ac Imperatorum os, Duces ac Principes inferiores, quis nuret? Sufficiat referre dictum B. Aloysij, qui spre-

ſpreto Caſtillionis Marchionatu Societatem Jesu è conſilio Dei Matris ingreſſus, tanti fecit abiectum eſſe in domo Dei, vt Generali Mutio Vitelleſco, (quod ipſe poſtea in publica exhortatione retulit,) palam dixerit: *Si per vnum tantùm momentum in Societate* Jesu *eſſe debuiſſem, & per inferni pœnas id me peruenire oportuiſſet, elegiſſem illas, Pater, vt in Societate eſſem.* At enim ſeruitus Dei ſuis non caret laboribus ac moleſtijs? Ita eſt. Sed quænam mundi ſeruitus illis caret? Quæ roſa ſine ſpinis, quæ ſine conchis gemma? Quot incommodis, quot laboribus fatigantur ſerui mundi, vt famam, vt honorem, vt gratiam Principis lucrentur? Et hoc ipſum quàm fragile bonum eſt, quam incertum? Ergo pro amicitia Dei, tam certa, pro honoribus, pro diuitijs tota æternitate manſuris, longe minora pati graue erit? Et verò quàm parum eſt, quod à nobis in obſequijs ſuis exigit Deus. Parum omnino comparatione tanti præmij, quantum eſt æternæ gloriæ pondus. Parum ratione breuis temporis, quo laborandum & patiendum eſt. Parum comparatione eorum, quæ Sancti pro Deo tolerabant. Parum comparatione eorum, quæ pro nobis Deus Filius fecit & paſſus eſt. Parum ratione dignitatis Dei infinitæ. Parum comparatione ſuppliciorum, quæ promeruimus. Parum deniq; quia omnes in obſequio moleſtias & labores, dulces facit ſuis ſolatijs, ſuo Amore Deus, vt ipſe ſit exaltans iugum ſupra ceruices noſtras,

nostras, dicatq; meritò: *Iugum meum suaue est, & onus leue.*

VIII.

Sine causa Christianus sum, si Christum non sequor. S. Bernardus.

NIhil aliud est vita Christiani, quàm imitatio vitæ Christi. Aut Baptismi Character eradendus est, & fides in Christum eiuranda; aut iuxta vitæ Christi Ideam viuendum est Christiano. Quantus pudor est credere Christo dicenti, Beatos esse pauperes, Beatos qui lugent, & tamen diuitias sectari, quærere voluptates! Quàm probrosa contradictio, Adorare Christum pauperem, contemptum, Crucifixum; & paupertatem Christi fugere, detestari contemptum, Crucem horrere! Quanta indignitas, Dominum esse Pauperem, servum diuitem; Dominum omnia incommoda pati, servum delitijs abundare? Itané vestis attactu Christi consecrata ac dignificata est; & paupertas nostra, dolor, ignominia, quæ Christus pariter sumpsit, ipsa Christi assumptione Christiano dignificata non erunt? At pudeat *Servum esse maiorem Domino suo:* pudeat *sub spinoso capite membrum esse delicatum.* Elige quod vis Christiane: vel Christum errasse puta, qui sponte paupertatem, ignominiam, dolores assumpsit: vel errare fatearis, qui opposita omnia ambis. Christum DEI sapientiam, errare impossibile

bile eſt; tu igitur infelix erras, ſi diuitias, ſi voluptates, ſi honores, cum ſalutis diſpendio quæris.

IX.

Aut pati aut mori.

EFfatum eſt Sanctæ Tereſſiæ veriſſimum, & Diuinæ Sapientiæ arcanum. Ita eſt, quamdiu viuimus, tamdiu reſtat pati. Multa bona agere, & multa mala pati, Chriſtianorum eſt, ait Bernardus. Sepiuit DEus omnes ſemitas noſtras ſpinis & crucibus: Si quis ab vna declinare velit, incidit in aliam, quia ob ipſam fugam Crucis, nouæ noxæ debitam. Quid fruſtra Crucem fugis, quam vitare non potes? In Cœlo nihil niſi bonum eſt: in inferno nihil niſi malum: terra, quæ media eſt, vtrumq; extremum participat. Quid Crucem fugis, quam Chriſtus ſuo contactu dignificauit? Crux latronibus ſit infame patibulum, tibi Chriſtiane eſt Scala ad cœlum. Hac itur ad Aſtra: hac Chriſtus, hac omnes cælites intrarunt in gloriam ſuam. Quàm pulchrum Cœlo ſpectaculum eſt, Chriſtianum Chriſto confixum eſſe Cruci! Quantum gaudium, Chriſtum ſocium habere dolorum! Quid dulcius calice Paſſionis, quem cor diuinum ſuis implet placitis, velut placidiſſimis liquoribus, quem manus pijſſimi patris porrigit, quem os Chriſti prægustauit. Bibe igitur tam præclarum calicem ſitibundus, vt gene-

generoſos ac Filio DEI dignos imbibas ſpiritus, & bibendo ingemina cum S. Tereſſia: *Aut pati aut mori.* Quin potius dic cum S. Magdalena de Pazzis: *Pati non mori*: Aut exclama cum Indiarum Apoſtolo XAUERIO: *Amplius Domine, amplius cruciari.* Nempe pati eſt *Omne gaudium*, vt ait Iacobus Apoſtolus. Stare ad crucem Chriſti cum MARIA, eſt illud *vnum Neceſſarium: Maria optimam partem elegit*, vt aiebat P. Vincentius Carafa VII. Generalis Soc. IESU. *Pati amando, & amare patiendo, eſt compendium perfectionis*, vt dicebat idem. *Ire ad cælum patiendo, eſt ire per Poſtam*, vt dicebat P. Balth. Aluarez Soc. IESU. *Dolores pro amore Chriſti tolerati, ſunt menſura itineris ſurſum, quam oportet eſſe confertam & coagitatam*, vt dicebat P. Franc. Piccolomineus VIII. Generalis Soc. IESU.

X.

Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ. Eccl. 26.

QUam pretioſa eſt caſtitas, Virtus Angelica! *Hæc incorruptio nos mortales facit proximos* non modo Angelis, ſed ipſi *etiam* DEO. Hanc tanti fecit Chriſtus, vt Matrem non niſi Virginem elegerit, ipſe Virgo: & Ioannem Apoſtolum propter Virginitatem, in ſuo pectore tanquam gemmam pretioſam repoſuerit, eumque moriens loco ſui in terris, Filium MARIÆ relique-

liquerit. Hanc ita amauit Virgo Mater, prima huius virtutis in terris fundatrix, vt Angelo maternitatem DEI offerenti palam testata sit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Præmium porro Virginitatis quàm sublime! Supra montem Sion, id est in sublimi gloria perennare, sequi agnum quocunque ierit, cantico ab alijs inimitabili, cor DEI, cor B. Virginis, tota æternitate exhilarare, speciali laureola in cœlo ornari, Virginitatis stipendium est. Quanti igitur hanc virtutem æstimare, quantum pro eius integritate dimicare debes, si Christo, si eius Matri placere desideras, Athleta Mariane? Linguam sibi præcidit, & cruentam in os Fœminæ impudicæ exspuit Martyr Nicetas, vt castitatem defenderet: tu saltem linguam cohibe, ne quæ toties Sanguine Christi in sacra communione consecratur, verbo aliquo impuro polluatur. Nobiles Christianæ Amazones, aliæ oculos sibi eruerunt, aliæ se ipsas præcipitarunt è montibus, ne Virginitatem læderent: tu saltem oculos auerte, ne videant vanitatem. Benedictus pro conseruanda castitate se nudum in vepribus cruentauit: Franciscus in nivibus volutatus est: Xauerius ad sanguinis è naribus profluvium, vni somnio impuro restitit. Tu nondum duriùs carnem rebellem tractasti, *nondum ad sanguinem restitisti.* Ergo nunc statue, omni diligentia thesaurum tàm pretiosum seruare, quem si semel amiseris, nunquam tota æternitate recuperabis.

XI.

XI.

Quàm ſordet mihi terra, dum cœlum aſpicio!

VOx erat S. P. Noſtri IGNATII ad Cœlum aſpirantis. Et quid ni ſordeat terra, tot plena peccatorum fœtoribus? Quid ni ſordeat, quæ ſtabulum eſt pecorum? Patria noſtra eſt cœlum. Ibi Patrem DEUM habemus: ibi ıos *magnus charorum numerus exſpectat*. Bona :errena, quibus hic paſcimur, ſiliquæ ſunt por:orum, quæ appetitum noſtrum infiniti boni :apacem non explent, ſed contaminant. Ad naiora, ad altiora Bona creati ſumus: Ergo ad !la properemus. *Ad Cælum, Ad Cælum. Ibi no- ra fixa ſint corda, vbi vera ſunt gaudia, quia pu- t æterna*. Amemus vitam, ſed amemus æter- am: Quæramus diuitias, ſed ſemper manſu- ıs: optemus voluptates, ſed ſine felle, ſine ›ſinthio perennes: Ambiamus honores, ſed ›ud DEUM, nunquam perituros. O nos Veſa- ›s, ſi ſtabulum amamus præ palatio, exilium æ patria, lutum præ auro. *Quanta phreneſis ', cogitare parum de magno, & cogitare multum paruo: breui tempori curam longiſſimam, & giſſimæ æternitati breuem curam impendere!* ıanta inſania! *nolle perdere parum vt multum reris: nolle dare mortem pro vita, terram pro 'o, tempus pro æternitate; nihil pro bonorum om- m aggregatione.*

XII.

DEVS mihi sufficit solus.

QVid appeto? Quid appetendo quæro, & satiari in appetendo nequeo? Bonum est quod appeto, bonum quæro, sed nullum bonum creatum, quo satier, inuenio. Vbi es ô bonum meum sufficiens? quæro te intra divitias sæculi, sed non inuenio: quid enim sunt illæ, nisi mera deliria, figura transiens & somnium? quo *cum dormierint viri divitiarum, nihil inuenient in manibus suis.* Imò spinæ sunt, quæ sua solicitudine pungunt animam & cruentant. At neque inter carnis delitias bonum sufficiens reperio: quantum enim *gaudium peccatoris! ad instar puncti est,* gutta mellis in Oceano fellis & absinthij. Quid frustra & inter mundi honores, & inter fauores mortalium exquiro bonum? quantæ indigentiæ latent sub larua honoris? quantæ fallaciæ fauores Principum? Valete bona non bona, boni indiga, non sine malo bona, quia defectuosa & defectibilia. Solus bonum meum est, qui purum bonum est, qui omne bonum est, qui fons omnium bonorum est indefectibilis, & origo, DEUS *meus & omnia. Nimium auarus est, cui* DEUS *non sufficit.* Quod enim bonum est, quod in DEO cum infinito excessu non contineatur? aut quod bonum est, cum quo DEUS melior sit, quàm sine illo, qui infinitum bonum est? Igitur si amore careo & laude apud

homi-

homines, sufficit mihi DEO placere, sufficit laudem apud DEUM habere. Si careo diuitijs, nimis diues sum, cùm ius ad DEum possidendum habeo. *Quidquid mihi dare vult Dominus meus præter se ipsum, dulce mihi non est; auferat totum, & se mihi det.* Ipse solus mihi sufficit, DEUS meus & Omnia.

**************:*************

CAPVT II.

Remedia

Ad fugienda & extirpanda vitia.

Actis breuiter, in virtutis Palæstra, sanctioris vitæ fundamentis, armandus est Athleta MARIANUS remedijs vitiorum, tum generalibus, tum particularibus, quibus instructus prælia Domini, contra hostes animæ feliciter gerat.

Remedia

Contra quodvis peccatum.

1. Remedium est. Oratio, ad quam subitò currendum est insurgente aliqua tentatione, antequam cor occupet, inuocando opem DEI, Virginis, & Sancti Patroni, qui in opposita virtute floruit. Huiusmodi Orationes sunt. DEUS *in adiutorium meum intende. Domine salvum me fac, pereo. Domine vim patior responde*

pro me. MARIA *ſis mihi propitia.* MARIA *opitulare. Mater miſericordiæ monſtra te eſſe Matrem.*

2. Remedium eſt. Habere frequenter memoriam præſentiæ DEI, & Angeli Cuſtodis, atque occurrente praua ſuggeſtione, ſeipſum arguere dicendo: *Egone in oculis* DEI *Iudicis omnia videntis, & Angeli mei cuſtodis, hæc cogitabo? hæc faciam? O Domine malo mori quam fœdari.*

3. Remedium eſt. Premente aliqua tentatione recordari Chriſti patientis, eiuſque amore ſe ipſum vincere dicendo: *Amor meus crucifixus eſt, & ego voluptati operam dabo! Ah non licet ſub ſpinoſo capite membrum eſſe delicatum. O bone* IESU *intra vulnera tua abſconde me.* Ita ſuadet Apoſtolus, vt cogitatione Chriſti paſſi armemur. 1. Petri 4.

4. Remedium eſt. Tempore tentationis deuote aſpicere imaginem Beatæ Virginis, vel eam ſibi in memoriam reuocare, atq; eius amore proteſtari, ſe nolle aſſentiri tentationi. *Propter te, amore tui, o pretioſiſſima Parens, Domina mea, non cogitabo, non dicam, non faciam.*

5. Remedium eſt. Meditatio Nouiſſimorum, nempe Mortis, Iudicij extremi, Inferni, iuxta illud: *Memorare Nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Eccleſ. 7.

6. Remedium eſt. Fuga otij, quod eſt puluinar diaboli, & origo omnium vitiorum.

7. Remedium eſt. Fuga ſociorum, locorum aliarumq; occaſionum peccati. Nam *qui amat periculum, in illo peribit.* Eccleſiaſtici 3.

8. Reme-

8. Remedium eſt. Vſus frequens Sacramenti Pœnitentiæ & Euchariſtiæ. Ex hoc enim diuino epulo robur ſumitur ad vincendum hoſtem animæ: Et de hoc Sacramento dicit Pſaltes: *Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me.* Pſal: 22.

9. Remedium eſt. Dum aliqua tentatio infeſtat, elicere actum amoris DEI ſuper omnia; talis enim Actus ſtare non poteſt cum peccato, ac proinde illud impedit.

10. Remedium eſt. Examen particulare inſtituere: ita vt manè propoſito facto vitandi tale vel tale peccatum, circa meridiem & veſperi te reflectas, quoties in hoc peccatum lapſus ſis, moxq; pœnitentiam ipſe tibi imponas, & propoſitum renoues, tam diu in eo perſiſtendo, quamdiu vitium non extirpaueris.

Hæc ſunt remedia generalia contra peccata: Veniamus ad ſpecialia.

Remedia

Contra tentationes Fidei oppoſitas.

1. Caue ne vnquam cum talibus cogitationibus diſputes, ne fallacijs dæmonis in re fidei tam obſcura, capiare: ſed potius captiuando intellectum in obſequium DEI, illico dices: *Credo omnia, quæ credit Eccleſia Catholica. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.*

2. Reuoca tibi in mentem illa ſuauiſſima vincula, quæ in fide Catholica tenebant Auguſti-

num, ita de se loquentem, lib. contra Epist. fundam. *Tenet me in hac fide consensus populorum, atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, vsque ad præsentem Episcopatum successio.* Addi potest: Tenet me in hac fide tanta doctorum Sapientia, tanta tot Religiosorum Sanctitas, tanta tot milliorum hominum pro hac fide tolerata Martyria. Quæ omnia motiua credibilitatis in nulla secta reperiuntur, nisi in sola Romana Ecclesia, vt vel inde certissimum signum sit, DEUM in ea sola, & per eam loqui.

3. Frequenta ritus Ecclesiæ, præsertim vsum Sanctissimi Sacramenti, vt sic tibi gustanti quàm suauis sit Dominus, sapiant ea, quæ ipse in Ecclesia reuelauit.

4. Vitandæ lectiones librorum vetitorum, conciones item & familiaritates Hæreticorum, vt monet Apostolus *ad Titum* 3.

Remedia

Contra consuetudinem iurandi.

1. Considera, quantus sit DEI contemptus cum nomen eius sanctum & terribile assumitur ad confirmandum dictum falsum; hoc enim nihil aliud est, quàm DEUM, qui est summa veritas, facere testem mendacij, adeoq; facere DEUM mendacem, quæ est ingens DEI contumelia.

2. Considera, consuetudine iurandi amitti

auctori-

auctoritatem in dicendo: nam frequenter & facile iuranti minus creditur, etiamsi serio iuret, vt docet *S. Chrysost: hom. 7. ad pop. Antioch.*

3. Loco consuetæ formulæ iurandi asuesce alteri modo testandi, qui non contineat iuramentum, dicendo v. g. ita pro certo affirmo, &c.

4. *S. Chrysostomus hom. 5. ad populum,* ad deponendam hanc consuetudinem suadet, vt qui est ei obnoxius, ipse sibi pœnam imponat, quoties in hoc peccatum labitur, v.g. vt impransus cubet; vt toties det Eleemosynam, &c.

Contra superbiam & vanam gloriam.

1. Frequenter sibi imperfectiones, & peccata ob oculos ponere, ob quæ digni sumus omni contemptu.

2. Proponere sibi ante oculos perfectiones Sanctorum, & cum illis se ipsum comparando, confundi.

3. Meditari de humilitate Christi conculcati, consputi, latroni postpositi, atq; nobis dicentis: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

4. De se suisq; factis nihil ad laudem vel vituperium dicere, & oblatam laudem statim DEO offerre.

5. Libenter occupari in functionibus abiectioribus, & cum humilibus conuersari.

6. Laudem & honorem apud solum DEUM quærere, apud quem solum est laus vera, æterna, inamissibilis, imò est infinita, cum sit ipse

DEUS, iuxta illud Regij Vatis: *Apud te laus mea DEUS.* Et *Laus mea tu es.*

7. Sæpe cogitare, quod ſuperbus ſit contemptibilis hominibus, & DEO odibilis, qui ſuperbis reſiſtit, eoſq; punit infamia, & peccatis turpibus, vt ſibi vileſcant.

Contra Iram & Impatientiam.

1. Cum te irà commoueri ſentis, ab omni verbo abſtine, aliò te conferendo, ne aliquod verbum contra rationem excidat.

2. Aſpice Chriſtum Crucifixum, ideam omnis patientiæ & manſuetudinis, qui vt dicitur 1. Pet. 2. *Cum pateretur non comminabatur*; atq; intra eius vulnera tuas moleſtias depone, vt ibi dulceſcant amore ſui Redemptoris.

3. In omni tua aduerſitate, oculos mentis conuerte ad DEI voluntatem ſapientiſſimam, iuſtiſſimam, beneuolentiſſimam, à qua omnia aduerſa ad nos veniunt, dicendo: *Ita Pater, quia ſic placitum eſt ante te.*

4. Vide tuos defectus maiores, quos in te tolerat DEUS, & alij, & quibus longe maiorem pœnam mereris, ac proinde in ſatisfactionem pro ipſis, accepta aduerſitatem.

5. Conſidera damna, quæ ex ira & impatientia proueniunt. Nam ira non minuit dolorem ſed auget: & præterea vulnus conſcientiæ infligit, priuatq; coronà. Deinde hominem facit furentem beſtiam. Deniq; præſcribit modum, quo DEUS agere debeat cum iracundo orante: *Dimitte nobis ſicut & nos dimittimus.* Con-

Contra tentationes impuras.

1. Fugiendæ occaſiones, conuerſationes, amicitiæ nociuæ, otium.

2. Cuſtodiendi diligenter ſenſus, præſertim oculi, aures, lingua, manus, ſunt enim feneſtræ, per quas mors intrat.

3. Subtrahendum ſomentum libidinis, nimius cibus & potus.

4. Adhibenda mortificatio corporis, ieiunia, flagellationes, vigiliæ.

5. Vtendum frequenti Communione, vt puriſſimo corpore Chriſti corpora noſtra ſanctificentur.

6. Iuuat plurimum deuotio ad Matrem puriſſimam, à qua virtus continentiæ ſæpe petenda eſt, & coram eadem manè & veſperi proteſtatio facienda, quod quidquid contra Angelicam puritatem acciderit, id præter & contra noſtram voluntatem futurum ſit, idque amore ipſius.

7. Occurrente tentatione mentem illicò aliò auertere, vel conferendo ſe ad aliquid ſeriò agendum, vel recurrendo ad Chriſtum Crucifixum, vel ad Angelum Cuſtodem, vel ad B. Virginem, his verbis: *Virgo puriſſima per immaculatam conceptionem tuam, munda cor meum ab omni impuritate, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

Contra inuidiam & odium.

1. Honorem, laudem, cæteraque bona temporalia non magni facere, sed potius bona altioris ordinis æterna desiderare.

2. Ea frequenter considerare, quæ ad fraternum amorem excitare possunt, qualia sunt, quod omnes simus DEI imagine insigniti, omnes Christi sanguine tincti, omnes ad eandem hæreditatem vocati, omnes eiusdem Diuinæ mensæ participes. &c.

3. Expendere damna inuidiæ, quæ inuidum tristitia inani consumit, omnibus grauem facit, diabolo similem reddit.

Contra Gulam

1. Remedium præscribit Spiritus S. Prou. 23. *Noli esse in conuiuiis potatorum nec in commessationibus eorum.*

2. Expendere turpitudinem huius vitij, quod hominem belluam facit, imò deteriorem belluis, quæ naturam vltra satietatem non grauant.

3. Considerare incommoda, quæ ex hoc vitio proueniunt, qualia sunt paupertas, multæ infirmitates, acceleratio mortis, rixæ, homicidia, luxuria, & alia.

4. Pænam sibi statuere pro hoc defectu commisso, die aliquo victitandi pane & aqua, cibumque qui sumendus fuisset pauperibus erogandi.

Contra tepiditatem.

1. Considera amorem DEI erga nos, & tot beneficia, quibus nos obstringit continuò ad hoc, vt ei feruenter seruiamus.

2. Considerare immensum gloriæ pondus, quod tam facile per opera feruentia promereri possumus, & quod promerendi post mortem tempus non erit amplius.

3. Considerare exempla tot Sanctorum, tum in hac vita, tum in cælo, Deum feruenter laudantium.

4. Considerare finem creationis nostræ, qui non est alius, nisi laudare Deum eiq; seruire.

5. Considerare malitiam tepiditatis, quæ ipsa bona opera reddit mala, & nauseam tantam DEO mouet, vt dicat in Apoc. *Vtinam calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore.*

*************:*************

CAPVT III.

Praxis Exercitij Matutini.

Adoratio, Fides, Spes, Charitas.

SUmma ac infinita maiestas, Pater, Fili & Spiritus S. Ego vilissima creatura tua, in centrum nihili mei prostratus, Te Deum verum, vnum in natura, trinum in Personis, supple-

adoro, laudo & glorifico cultu latriæ, affectu omnium Sanctorum. In te & tibi omnibus quæcunq; reuelasti, firmissime credo, propter tuam veracitatem infallibilem. In te spem omnem meam de omnibus bonis meis tam temporalibus quàm æternis repono, propterea quia scis, vis & potes ea conferre. Te æstimo & amplector super omnes diuitias, honores, voluptates, & super omnia bona creata, proter te, & infinitam dignitatem & bonitatem tuam. Atque in his affectibus hodie & quotidie viuere, operari, pati ac tandem mori volo.

Gratiarum Actio.

BEnedicta sit in æternum amabilissima tua, Deus; bonitas infinita, quà me ex nihilo creasti, ex peccati seruitute redemisti, ad fidem veram vocasti, tot gratijs ingratum hactenus ornasti, præuenisti, adiuvisti, à tot malis animæ & corporis etiam hac nocte præseruasti. Pro istis ac omnibus alijs beneficijs, quibus non solum me, sed omnes & singulas creaturas hucusque cumulasti, confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.

Intentio.

ECce Domine, hodie, & per totam vitam meam, & æternitatem, me tibi ex integro in holocaustum trado ac offero, corpus & animam meam, memoriam, intellectum, voluntatem, sensus ac omnes potentiás, omnia facta, dicta, cogitata, omnes aduersitates meas, omnes

motus cordis ac respirationes, omnes Syllabas & literas legendas, scribendas, audiendas. Omnia ista vnita meritis vitæ & Passionis Domini nostri IESU Christi, sanguine eius aspersa, in corde deposita, manibus benedicta, dono, offero, consecro diuinæ Maiestati tuæ.

I. Ex amore tui, ad gustum tibi dandum, & ad maiorem gloriam tuam.

II. In protestationem supremi tui dominij & nostræ subiectionis.

III. In gratiarum actionem pro beneficiis omnibus præsertim N.

IV. In satisfactionem pro omnibus peccatis præsertim N.

V. Ad exhilarandum cor B. Virginis, & SS. præsertim N.

VI. Ad præparandum cor meum in ordine ad communionem.

VII. Ad confundendos dæmones hostes animæ meæ.

VIII. Ad impetrandam mihi virtutem & gratiam N.

Protestatio.

PRotestor vero coram te Domine DEUS meus, & Curia tua cœlesti vniuersa, quod hodie & totâ vitâ meâ, volo viuere, vt decet mancipium IESU & MARIÆ. Protestor quod mori millies malo, quam peccato præsertim N. te offendere. Protestor quod quidquid hodie acciderit, quod tibi DEO meo displicet, id contra

meam voluntatem erit. Protestor deniq; quod toties te hodie amare & laudare volo, quoties respirabo, quot fluent momenta in tempore, quot literas scribam, &c.

Petitio Auxilij.

A Tua bonitate per IESU Christi sanguinem suppliciter peto benedictionem. Da mihi gratiam hodie efficacem, ad vincendas suggestiones inimici, ad vitanda omnia peccata, præsertim N. ad promerendam veniam, gratiam, & gloriam æternam. Amen.

Ter *Pater* & *Aue.* Et renouetur Formula Congregationis: *Sancta* MARIA *Mater* DEI, *&c.*

*************:**************

CAPVT IV.

Examen Vespertinum.

Gratiarum actio.

BEnedicta sis in æternum, ab omnibus, in omnibus, & super omnia, Sancta & indiuia Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, pro omnibus & singulis beneficijs, quæ mihi omnibusq; creaturis siue in Cœlo, siue in terra, siue etiam in inferno hodie & toto vitæ meæ tempore, contulisti. Benedico, laudo, & glorifico te, pro beneficio creationis, & conseruationis mei

mei ac omnium creaturarum, pro cooperatione ad omnes actus meos, pro incarnatione, vita, passione & morte Domini nostri IESU Christi, pro doctrina eius, meritis, exemplis, Sacramentis, pro gratijs omnibus habitualibus & actualibus, in me ac omnes creaturas rationales tam liberaliter effusis, ac demum pro externa protectione, ac præseruatione à pluribus malis animæ & corporis. Benedictio & claritas & gratiarum actio, honor, & gloria tibi DEO nostro in æternum.

Petitio Luminis.

AT quàm ingratus ego hodie beneficijs vixi! illumina quæso Domine oculos mentis meæ, ne obdormiam in morte. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, vt cognoscam ac defleam peccata mea, quibus te hodie offendi.

Discussio conscientiæ.

HIc reuoca tibi in mentem defectus actionum tuarum, reflectendo te supra singulas eo ordine, quo per diem factæ sunt, & obseruando, quid mali in qualibet actione diei cogitasti, dixisti, fecisti, quid etiam boni omisisti, quod facere potuisti, Item considera causas defectuum, & remedia.

Dolor.

O Purum, summum ac infinitum bonum DEus meus, ex amore quo te amplector, & æstimo super omnes creaturas, detestor omnia & sin-

& singula peccata mea, super omnia alia mala, etiam supra ipsam mortem, & doleo quia Te aliquando peccatis meis offendi. Doleo autem pure propter te tuamq; bonitatem infinitam, omni amore dignissimam, quam infelix offendi, & cui materiam displicentiæ dedi. O vtinam nunquam peccassem, vtinam tibi perfectius seruiuissem.

Propositum.

ECce nunc Domine cum tua gratia firmissime statuo ac propono emendationem. Volo deinceps perfectius tibi seruire, volo occasiones peccandi præsertim N. deuitare. Malo mori & omnia aduersa pati, quam te DEUM meum peccato vnquam offendere. Confirma hoc DEUS per gratiam, quod operatus es in me. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me DEUS salutaris meus. Ter *Pater* & *Aue*, & Psalmus *De profundis*, pro defunctis sodalibus.

*************:************

CAPVT V.

Obseruanda circa quamcunq; actionem, vt perfectè fiat.

I.

ANte quamcunq; actionem, præsertim longiorem, V. G. ante studia, inuoca breuiter opem

opem diuinam, dicendo: DEUS *in adiutorium meum intende*, vel *Adiuva me Domine Deus meus*.

2. Renoua intentionem dicendo: *In gloriam tuam Deus & vitam æternam. Propter te Domine. Renovo intentionem.*

3. In decursu actionis recordare interdum DEI in te, circa te, ac in ipso actionis tuæ obiecto, præsentis atque spectantis, ac tecum & cum tuo obiecto concurrentis. Vnde dices: *Adoro te Domine, hic præsentem, me videntem, mecum concurrentem, me cum hoc obiecto pascentem, illuminantem, calefacientem, &c.*

4. Intuere Christum Dominum, B. Virginem, vel S. Patronum, quâ perfectione similem actionem illi exequebantur. illos proinde imitando in vnione actionis ipsorum operare. E. G. In comedendo, recordare Christi in nuptijs, in cœna vltima. Decumbens in lecto, recordare Christi in præsepio, in Cruce, in sepulchro quiescentis. Vestiendo te, Christi ligati, vestibus ignominiosis induti. Lavando faciem, Christi in sanguine suo demersi. Ambulando, Christi per plateas ad iudices tracti, Palæstinam obeuntis. Studendo, Christi docentis, &c.

5. Forma tibi aliquod documentum spirituale ex actione tua eiusq; obiecto, cum aliquo affectu proportionato. E. G. Lauas faciem; cogita quod sanguis Christi emundat nos ab omni peccato, vtinam te emundet! Induis te; cogita exuendum veterem hominem, & induendum

D. IE-

D. Iesum, hocq; pete à Deo. Comedis; cogita siliquas esse istas porcorum, melioribus in Patria Sanctos abundare panibus, illuc proinde feratur desiderium. Decumbis; cogita fore vt sub te sternatur tinea, & operimentum tuum sint vermes.

6. Mortifica te in omni actione, v.g. incommodius sedendo, non carpendo fructum aut florem in horto, subtrahendo gustui ad mensam bolum aliquem, B. Virginis gustui transmittendum.

7. Post actionem, age Deo gratias pro cooperatione, pro tuis defectibus dole, & quidquid boni actum est, offer Deo.

****

CAPVT VI.

Orationes eiaculatoriæ per diem vsurpandæ

Fidei.

IN fide viuo Filij Dei, qui dilexit me, tradidit semetipsum pro me.

Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

Spei.

DEus meus misericordia mea. *Ps.* 58.

In te Domine spero, non confundar in æternum. *Psal.* 30.

Domi-

Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Psal.* 17.

Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. *Psal.* 117.

Spes mea ab vberibus matris meæ, DEUS meus es tu. *Psal.* 21.

Charitatis.

DEus meus & omnia.

Quid volo præter te, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Sero te amaui pulchritudo infinita, sero te amaui. Væ tempori, quo non amaui te. *S. August.*

O summum bonum meum, quando te perfecte amabo?

O quam suauis est Domine Spiritus tuus.

Dulcis & rectus Dominus.

Diligam te Domine virtus mea, firmamentum meum & liberator meus. *Psal.* 17.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO IESU meo. *Abac.* 3.

Contritionis.

PEccaui Domine, miserere mei.

Pater, peccaui in Cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus.

Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. *Psal.* 50.

Malo mori quam fœdari.

Desi-

num, ita de se loquentem, lib. contra Epist. fundam. *Tenet me in hac fide consensus populorum, atq; gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, vsque ad præsentem Episcopatum successio.* Addi potest: Tenet me in hac fide tanta doctorum Sapientia, tanta tot Religiosorum Sanctitas, tanta tot millionum hominum pro hac fide tolerata Martyria. Quæ omnia motiua credibilitatis in nulla secta reperiuntur, nisi in sola Romana Ecclesia, vt vel inde certissimum signum sit, DEUM in ea sola, & per eam loqui.

3. Frequenta ritus Ecclesiæ, præsertim vsum Sanctissimi Sacramenti, vt sic tibi gustanti quàm suauis sit Dominus, sapiant ea, quæ ipse in Ecclesia reuelauit.

4. Vitandæ lectiones librorum vetitorum, conciones item & familiaritates Hæreticorum, vt monet Apostolus *ad Titum* 3.

Remedia

Contra consuetudinem iurandi.

1. Considera, quantus sit DEI contemptus cum nomen eius sanctum & terribile assumitur ad confirmandum dictum falsum; hoc enim nihil aliud est, quàm DEUM, qui est summa veritas, facere testem mendacij, adeoq; facere DEUM mendacem, quæ est ingens DEI contumelia.

2. Considera, consuetudine iurandi amitti

auctoritatem in dicendo: nam frequenter & facile iuranti minus creditur, etiamsi serio iuret, vt docet *S. Chrysost: hom. 7. ad pop. Antioch.*

3. Loco consuetæ formulæ iurandi asuesce alteri modo testandi, qui non contineat iuramentum, dicendo v. g. ita pro certo affirmo, &c.

4. *S. Chrysostomus hom. 5. ad populum*, ad deponendam hanc consuetudinem suadet, vt qui est ei obnoxius, ipse sibi pœnam imponat, quoties in hoc peccatum labitur, v.g. vt impransus cubet; vt toties det Eleemosynam, &c.

Contra superbiam & vanam gloriam.

1. Frequenter sibi imperfectiones, & peccata ob oculos ponere, ob quæ digni sumus omni contemptu.

2. Proponere sibi ante oculos perfectiones Sanctorum, & cum illis se ipsum comparando, confundi.

3. Meditari de humilitate Christi conculcati, consputi, latroni postpositi, atq; nobis dicentis: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.*

4. De se suisq; factis nihil ad laudem vel vituperium dicere, & oblatam laudem statim DEO offerre.

5. Libenter occupari in functionibus abiectioribus, & cum humilibus conuersari.

6. Laudem & honorem apud solum DEUM quærere, apud quem solum est laus vera, æterna, inamissibilis, imò est infinita, cum sit ipse

Deus, iuxta illud Regij Vatis: *Apud te laus mea* Deus. Et *Laus mea tu es.*

7. Sæpe cogitare, quod ſuperbus ſit contemptibilis hominibus, & Deo odibilis, qui ſuperbis reſiſtit, eoſq; punit infamia, & peccatis turpibus, vt ſibi vileſcant.

Contra Iram & Impatientiam.

1. Cum te ira commoueri ſentis, ab omni verbo abſtine, aliò te conferendo, ne aliquod verbum contra rationem excidat.

2. Aſpice Chriſtum Crucifixum, ideam omnis patientiæ & manſuetudinis, qui vt dicitur 1. Pet. 2. *Cum pateretur non comminabatur*; atq; intra eius vulnera tuas moleſtias depone, vt ibi dulceſcant amore ſui Redemptoris.

3. In omni tua aduerſitate, oculos mentis conuerte ad Dei voluntatem ſapientiſſimam, iuſtiſſimam, beneuolentiſſimam, à qua omnia aduerſa ad nos veniunt, dicendo: *Ita Pater, quia ſic placitum eſt ante te.*

4. Vide tuos defectus maiores, quos in te tolerat Deus, & alij, & quibus longe maiorem pœnam mereris, ac proinde in ſatisfactionem pro ipſis, accepta aduerſitatem.

5. Conſidera damna, quæ ex ira & impatientia proueniunt. Nam ira non minuit dolorem ſed auget: & prᴂterea vulnus conſcientiæ infligit, priuatq; coronâ. Deinde hominem facit furentem beſtiam. Deniq; præſcribit modum, quo Deus agere debeat cum iracundo orante: *Dimitte nobis ſicut & nos dimittimus.* Con-

Contra tentationes impuras.

1. Fugiendæ occaſiones, conuerſationes, amicitiæ nociuæ, otium.

2. Cuſtodiendi diligenter ſenſus, præſertim oculi, aures, lingua, manus, ſunt enim feneſtræ, per quas mors intrat.

3. Subtrahendum ſomentum libidinis, nimius cibus & potus.

4. Adhibenda mortificatio corporis, ieiunia, flagellationes, vigiliæ.

5. Vtendum frequenti Communione, vt puriſſimo corpore Chriſti corpora noſtra ſanctificentur.

6. Iuuat plurimum deuotio ad Matrem puriſſimam, à qua virtus continentiæ ſæpe petenda eſt, & coram eadem manè & veſperi proteſtatio facienda, quod quidquid contra Angelicam puritatem acciderit, id præter & contra noſtram voluntatem futurum ſit, idque amore ipſius.

7. Occurrente tentatione mentem illicò aliò auertere, vel conferendo ſe ad aliquid feriò agendum, vel recurrendo ad Chriſtum Crucifixum, vel ad Angelum Cuſtodem, vel ad B. Virginem, his verbis: *Virgo puriſſima per immaculatam conceptionem tuam, munda cor meum ab omni impuritate, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.*

Contra inuidiam & odium.

1. Honorem, laudem, cæteraque bona temporalia non magni facere, sed potius bona altioris ordinis æterna desiderare.

2. Ea frequenter considerare, quæ ad fraternum amorem excitare possunt, qualia sunt, quod omnes simus DEI imagine insigniti, omnes Christi sanguine tincti, omnes ad eandem hæreditatem vocati, omnes eiusdem Diuinæ mensæ participes. &c.

3. Expendere damna inuidiæ, quæ inuidum tristitia inani consumit, omnibus grauem facit, diabolo similem reddit.

Contra Gulam

1. Remedium præscribit Spiritus S. Prou. 23. *Noli esse in conuiuiis potatorum nec in commessationibus eorum.*

2. Expendere turpitudinem huius vitij, quod hominem belluam facit, imò deteriorem belluis, quæ naturam vltra satietatem non grauant.

3. Considerare incommoda, quæ ex hoc vitio proueniunt, qualia sunt paupertas, multæ infirmitates, acceleratio mortis, rixæ, homicidia, luxuria, & alia.

4. Pœnam sibi statuere pro hoc defectu commisso, die aliquo victitandi pane & aqua, cibumque qui sumendus fuisset pauperibus erogandi.

Contra tepiditatem.

1. Considera amorem DEI erga nos, & tot beneficia, quibus nos obstringit continuò ad hoc, vt ei feruenter seruiamus.

2. Considerare immensum gloriæ pondus, quod tam facile per opera feruentia promereri possumus, & quod promerendi post mortem tempus non erit amplius.

3. Considerare exempla tot Sanctorum, tum in hac vita, tum in cælo, Deum feruenter laudantium.

4. Considerare finem creationis nostræ, qui non est alius, nisi laudare Deum eiq; seruire.

5. Considerare malitiam tepiditatis, quæ ipsa bona opera reddit mala, & nauseam tantam DEO mouet, vt dicat in Apoc. *Vtinam calidus, vel frigidus esses, sed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore.*

**************:**************

CAPVT III.

Praxis Exercitij Matutini.

Adoratio, Fides, Spes, Charitas.

SUmma ac infinita maiestas, Pater, Fili & Spiritus S. Ego vilissima creatura tua, in centrum nihili mei prostratus, Te Deum verum, vnum in natura, trinum in Personis, supplex

adoro, laudo & glorifico cultu latriæ, affectu omnium Sanctorum. In te & tibi omnibus quæcunq; reuelasti, firmissime credo, propter tuam veracitatem infallibilem. In te spem omnem meam de omnibus bonis meis tam temporalibus quàm æternis repono, propterea quia scis, vis & potes ea conferre. Te æstimo & amplector super omnes diuitias, honores, voluptates, & super omnia bona creata, proter te, & infinitam dignitatem & bonitatem tuam. Atque in his affectibus hodie & quotidie viuere, operari, pati ac tandem mori volo.

Gratiarum Actio.

BEnedicta sit in æternum amabilissima tua, Deus; bonitas infinita, quà me ex nihilo creasti, ex peccati seruitute redemisti, ad fidem veram vocasti, tot gratijs ingratum hactenus ornasti, præuenisti, adiuvisti, à tot malis animæ & corporis etiam hac nocte præseruasti. Pro istis ac omnibus alijs beneficijs, quibus non solum me, sed omnes & singulas creaturas hucusque cumulasti, confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi.

Intentio.

ECce Domine, hodie, & per totam vitam meam, & æternitatem, me tibi ex integro in holocaustum trado ac offero, corpus & animam meam, memoriam, intellectum, voluntatem, sensus ac omnes potentias, omnia facta, dicta, cogitata, omnes aduersitates meas, omnes

motus

motus cordis ac respirationes, omnes Syllabas & literas legendas, scribendas, audiendas. Omnia ista vnita meritis vitæ & Passionis Domini nostri IESU Christi, sanguine eius aspersa, in corde deposita, manibus benedicta, dono, offero, consecro diuinæ Maiestati tuæ.

I. Ex amore tui, ad gustum tibi dandum, & ad maiorem gloriam tuam.

II. In protestationem supremi tui dominij & nostræ subiectionis.

III. In gratiarum actionem pro beneficiis omnibus præsertim N.

IV. In satisfactionem pro omnibus peccatis præsertim N.

V. Ad exhilarandum cor B. Virginis, & SS. præsertim N.

VI. Ad præparandum cor meum in ordine ad communionem.

VII. Ad confundendos dæmones hostes animæ meæ.

VIII. Ad impetrandam mihi virtutem & gratiam N.

Protestatio.

PRotestor vero coram te Domine DEUS meus, & Curia tua cœlesti vniuersa, quod hodie & totâ vitâ meâ, volo viuere, vt decet mancipium IESU & MARIÆ. Protestor quod mori millies malo, quam peccato præsertim N. te offendere. Protestor quod quidquid hodie acciderit, quod tibi DEO meo displicet, id contra

meam

meam voluntatem erit. Protestor deniq; quod toties te hodie amare & laudare volo, quoties respirabo, quot fluent momenta in tempore, quot literas scribam, &c.

Petitio Auxilij.

A Tua bonitate per IESU Christi sanguinem suppliciter peto benedictionem. Da mihi gratiam hodie efficacem, ad vincendas suggestiones inimici, ad vitanda omnia peccata, præsertim N. ad promerendam veniam, gratiam, & gloriam æternam. Amen.

Ter *Pater* & *Aue*. Et renouetur Formula Congregationis: *Sancta* MARIA *Mater* DEI, *&c.*

*************:*************

CAPVT IV.

Examen Vespertinum.

Gratiarum actio.

BEnedicta sis in æternum, ab omnibus, in omnibus, & super omnia, Sancta & indiuia Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte, pro omnibus & singulis beneficijs, quæ mihi omnibusq; creaturis siue in Cœlo, siue in terra, siue etiam in inferno hodie & toto vitæ meæ tempore, contulisti. Benedico, laudo, & glorifico te, pro beneficio creationis, & conseruationis mei

mei ac omnium creaturarum, pro cooperatione ad omnes actus meos, pro incarnatione, vita, passione & morte Domini nostri Iesu Christi, pro doctrina eius, meritis, exemplis, Sacramentis, pro gratijs omnibus habitualibus & actualibus, in me ac omnes creaturas rationales tam liberaliter effusis, ac demum pro externa protectione, ac præseruatione à pluribus malis animæ & corporis. Benedictio & claritas & gratiarum actio, honor, & gloria tibi Deo nostro in æternum.

Petitio Luminis.

At quàm ingratus ego hodie beneficijs vixi! illumina quæso Domine oculos mentis meæ, ne obdormiam in morte. Emitte lucem tuam & veritatem tuam, vt cognoscam ac defleam peccata mea, quibus te hodie offendi.

Discussio conscientiæ.

Hic reuoca tibi in mentem defectus actionum tuarum, reflectendo te supra singulas eo ordine, quo per diem factæ sunt, & obseruando, quid mali in qualibet actione diei cogitasti, dixisti, fecisti, quid etiam boni omisisti, quod facere potuisti, Item considera causas defectuum, & remedia.

Dolor.

O Purum, summum ac infinitum bonum Deus meus, ex amore quo te amplector, & æstimo super omnes creaturas, detestor omnia

& sin-

& ſingula peccata mea, ſuper omnia alia mala, etiam ſupra ipſam mortem, & doleo quia Te aliquando peccatis meis offendi. Doleo autem pure propter te tuamq; bonitatem infinitam, omni amore digniſſimam, quam infelix offendi, & cui materiam diſplicentiæ dedi. O vtinam nunquam peccaſſem, vtinam tibi perfectius ſeruiuiſſem.

Propoſitum.

ECce nunc Domine cum tua gratia firmiſſime ſtatuo ac propono emendationem. Volo deinceps perfectius tibi ſeruire, volo occaſiones peccandi præſertim N. deuitare. Malo mori & omnia aduerſa pati, quam te DEUM meum peccato vnquam offendere. Confirma hoc DEUS per gratiam, quod operatus es in me. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me DEUS ſalutaris meus. Ter *Pater* & *Aue*, & Pſalmus *De profundis*, pro defunctis ſodalibus.

***************:************

CAPVT V.

Obſeruanda circa quamcunq; actionem, vt perfectè fiat.

I.

ANte quamcunq; actionem, præſertim longiorem, V. G. ante ſtudia, inuoca breuiter opem

opem diuinam, dicendo: DEUS *in adiutorium meum intende*, vel *Adiuva me Domine Deus meus*.

2. Renoua intentionem dicendo: *In gloriam tuam Deus & vitam æternam. Propter te Domine. Renovo intentionem.*

3. In decursu actionis recordare interdum DEI in te, circa te, ac in ipso actionis tuæ obiecto, præsentis atque spectantis, ac tecum & cum tuo obiecto concurrentis. Vnde dices: *Adoro te Domine, hic præsentem, me videntem, mecum concurrentem, me cum hoc obiecto pascentem, illuminantem, calefacientem, &c.*

4. Intuere Christum Dominum, B. Virginem, vel S. Patronum, quâ perfectione similem actionem illi exequebantur: illos proinde imitando in vnione actionis ipsorum operare. E. G. In comedendo, recordare Christi in nuptijs, in cœna vltima. Decumbens in lecto, recordare Christi in præsepio, in Cruce, in sepulchro quiescentis. Vestiendo te, Christi ligati, vestibus ignominiosis induti. Lavando faciem, Christi in sanguine suo demersi. Ambulando, Christi per plateas ad iudices tracti, Palæstinam obeuntis. Studendo, Christi docentis, &c.

5. Forma tibi aliquod documentum spirituale ex actione tua eiusq; obiecto, cum aliquo affectu proportionato. E. G. Lauas faciem; cogita quod sanguis Christi emundat nos ab omni peccato, vtinam te emundet! Induis te; cogita exuendum veterem hominem, & induendum

Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. *Psal.* 17.

Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. *Psal.* 117.

Spes mea ab vberibus matris meæ, DEUS meus es tu. *Psal.* 21.

Charitatis.

DEus meus & omnia.

Quid volo præter te, DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Sero te amaui pulchritudo infinita, sero te amaui. Væ tempori, quo non amaui te. *S. August.*

O summum bonum meum, quando te perfecte amabo?

O quam suauis est Domine Spiritus tuus.

Dulcis & rectus Dominus.

Diligam te Domine virtus mea, firmamentum meum & liberator meus. *Psal.* 17.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in DEO IESU meo. *Abac.* 3.

Contritionis.

PEccaui Domine, miserere mei.

Pater, peccaui in Cœlum & coram te, non sum dignus vocari filius tuus.

Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. *Psal.* 50.

Malo mori quam fœdari.

Desi-

Desiderij ad gloriam Cœlestem.

O Quam sordet terra, dum Cœlum aspicio. *S. Ignat.*

Satiabor cum apparuerit gloria tua Domine. *Psal.* 16.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Psal.* 83.

Quando veniam & apparebo ante faciem DEI? *Psal.* 41.

Adimplebis me Domine lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsq; in finem. *Psalm.* 15.

Te exquirit facies mea, faciem tuam Domine requiram. *Psal.* 26.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo domini omnibus diebus vitæ meæ.

Gratiarum actionis & laudis.

BEnedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. *Psal.* 102.

Misericordias Domini in æternum cantabo. *Psal.* 88.

Exaltabo Te DEus meus Rex, & benedicam nomini tuo in sæcula. *Psal.* 144.

Benedictio, & claritas, & gratiarum actio, honor DEO nostro, in sæcula sæculorum. *Apoc.* 7.

Sedenti in throno DEO & Agno honor & gloria.

Viuat IESUS meus & exaltetur DEUS salutis meæ.

Bene-

Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. 2. *Cor.* 1.

O SS. Patroni mei magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum.

Magnus Dominus, & magnitudinis eius non est finis. *Psal.* 144.

Oblationis.

DOmine, quid me vis facere? O Domine, ego servus tuus & filius ancillæ tuæ. *Psal.* 115.

Tuus sum ego Domine, salvum me fac. *Psalm.* 118.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. *Psal.* 107.

In tentatione vel aliquo periculo.

DOmine vim patior, responde pro me. *Isaiæ* 38.

Domine salua nos, perimus. *Matth.* 14.

Pater salvifica me ex hac hora. *Ioan.* 12.

Esto mihi in Deum protectorem & in locum refugij, vt salvum me facias. *Psal.* 30.

Exurge Domine, salvum me fac Deus meus. *Psalm* 3.

Sub vmbra alarum tuarum protege me. *Psalm.* 16.

Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innoua in visceribus meis. *Psalm.* 50.

In affli-

In afflictione.

ITa Pater, quia sic placitum fuit ante te.

DEO subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. *Psalm.* 61.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum. *Iob.* 1.

In ditione tua Domine omnia sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ. *Esther.* 13.

Domine, hic vre, hic seca, vt in æternum parcas. *Augustinus.*

DEUS meus & omnia. Nunquid tu mihi non sufficis, vt aliquo extra te bono priuari doleam? *Lessius.*

Nolo Domine sine vulnere, dum te video vulneratum. *S. Bernardus.*

Domine auge dolorem, sed auge patientiam. *Pius V.*

Plura Domine & maiora mala merui, tu pro me quoq; grauiora passus es.

IESU mi Crucifixe, serua mihi aliquem angulum in cruce tua: Ecce me ad patiendum pro te, amplius & amplius, etiam per æternitatem, si ita vis. *P. Franc. Piccolomini S.I. Generalis VIII.*

In prospero successu.

NOn nobis Domine, sed nomini tuo da gloriam. *Psal.* 113.

Magnificat anima mea Dominum, & exultauit

tuit Spiritus meus in DEO ſalutari meo. *Lucæ 2.*

Dextera Domini fecit virtutem, dextra Domini exaltauit me. *Pſal.* 117.

Domine quid eſt homo, quod magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? *Huc ſpectant affectus gratiarum actionis ſupra poſiti.*

Dum Comedis.

SAtiabor cum apparuerit gloria tua Domine. *Pſalm.* 16.

Replebimur in bonis domus tuæ. *Pſal.* 64.

Dominus meus IESUS in Cruce ſitit, & ego comedam & bibam?

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!

Quanti mercenarij abundant in domo Patris mei panibus, & ego hic fame pereo! ſurgam & ibo ad Patrem meum. *Lucæ* 15.

Cum decumbis.

QVando requieſcam in illa pulchritudine pacis, in requie opulenta?

In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me, *Pſalm.* 4.

Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi cubes in illo meridie æterno. *Cant.* 1.

Dum ambulas.

DIrige Ddmine DEUS meus in conſpectu tuo viam meam. *Pſal.* 1.

Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. *Pſalm.* 24. Erra-

Erraui ſicut ouis quæ perijt, quære ſeruum tuum Domine. *Pſalm.* 118.

Surgam & circuibo ciuitatem, quæram quem diligit anima mea. *in Cant.*

Trahe me Domine poſt te, curram in odorem vnguentorum tuorum. *in Cant.*

Quando veniam & apparebo ante faciem DEI? *Pſalm.* 41.

Cum aliquod obiectum ſenſu percipis.

DElectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

Benedicite Domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius.

O quàm ſuauior, quàm dulcior, quàm pulchrior es, Deus meus, nunquid enim tibi plus non reſeruaſti?

****

CAPVT VII.

Praxis viſitandi Sanctiſſimum Sacramentum.

I. PRAXIS.

Induere affectus Sanctorum adorantium Christum.

DOmine IEsu Chriſte Deus & homo, in hoc SS. Sacramento præſens ego puluis tuus & cinis, adoro te illo affectu, quo te in cunis adorarunt

rârunt Paſtores & Magi. Adoro te illo affectu, quo te adorabat viuentem hic in terris, & nunc in Cœlo adorat pretioſiſſima Parens tua. Adoro te illo affectu, quo te adorauit Centurio, & omnes viatores deuote communicantes, quicunq; tibi placuerunt. Adoro te deniq; illis affectibus laudis & adorationis, quibus te adorarunt, adorant, & tota æternitate adorabunt omnes Beati cælites. Horum voce & affectu tibi Deo meo hic præſenti canto: Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabbaoth. Dignus es Domine accipere honorem & gloriam & benedictionem. Tibi hic vere præſenti Deo & Agno ſit honor & gloria ab omnibus, in omnibus, ſuper omnia. O ſi omnium electorum tuorum corda amore tui inflammatiſſima, ſi ora in laudem tuam eloquentiſſima, nunc haberem, omnibus illorum cordibus te amarem, omnibus illorum vocibus te laudarem. Sed quia id præſtare non poſſum, ecce nunc illorum omnes laudis, adorationis, amoris, affectus erga te ſiue elicitos, ſiue per totam æternitatem eliciendos approbo, & tibi nunc præſento, ac offero in ſupplementum meæ tepiditatis. Vos verò omnes Sancti Angeli, vos Sancti Patroni mei, præſertim Tu B. Aloyſi, adiuuate meam impotentiam. Magnificate mecum & pro me iſtum Dominum meum hic præſentem, & exaltemus nomen eius nunc & in æternum. Amen.

II. PRAXIS.

Adorare omnia Christi constitutiua.

ADoro te, ô Sapientia Diuina, in hoc SS. Sacramento præsens, quæ omnia possibilia & existentia vides, ipsumque Deum comprehendis, & quæ hoc mirabile Sacramentum inuenisti. Adoro te hic præsentem, Omnipotentia Diuina, apud quam non est impossibile omne verbum, quæ omnia in omnibus operaris, & quæ in hoc Sacramento, tot stupenda miracula efficis. Adoro te hic præsentem, ô immensa Bonitas & Liberalitas Diuina. quæ te in hoc Sacramento hominibus tam liberaliter communicas. Adoro te Immensitas Diuina, quæ cum Cœlum & terram impleas, hic tamen in exigua hostia tota lates. Adoro etiam te, ô pretiosissima Anima Saluatoris mei, in hoc Sacramento verè ac realiter præsens, cum omnibus potentijs, habitibus, & actibus tuis. Benedictus sit tuus Intellectus hic præsens, scientia infusa rerum omnium, ac visione Dei clarissima illustratus. Benedicta sit Memoria tua hic præsens, quæ omnium hominum, ac mei etiam indignissimi nunquam obliuiscitur. Benedicta sit Voluntas tua, tot habitibus virtutum supernaturalium ornata. Benedictæ sint omnes Potentiæ tuæ vitales, quæ suis actibus veniam, gratiam & gloriam nobis promeruerunt. Adoro præterea te, & complector toto cordis mei affectu sanctissimum corpus Domini nostri IESU Christi, hic

hic realiter præsens, ex purissimo sanguine Virginis Matris, opera Spiritus Sancti formatum, pro salute mea olim crucifixum, nunc verò dotibus gloriosis ornatum. Amplector Pedes tuos cum Magdalena, pro me in Cruce transfixos. Amplector Manus vulneratas, in quibus omnia bona nostra Pater posuit. Amplector Caput spinis coronatum. Amplector Cor ad me summa charitate conuersum. Amplector omnia & singula Vulnera tua, omnes guttas Sanguinis, pretium Redemptionis nostræ. O Domine da vt te sub his speciebus Eucharisticis latentem, digne adorem & laudem, olim verò reuelata facie videam in Cœlo, A.

III. PRAXIS.

Salutare Christum in suis officijs.

AVe Domine IESU Christe, in hoc Sacramento DEUS abscondite & Saluator. Tu es Rex meus & Dominus meus, ego seruus ille tuus debitor, procido coram te, agnosco plurima debita mea, quæ peccando contraxi, patientiam habe in me, & dimitte vniuersa delicta mea.

AVe Pater Misericordissime. En ego ad te venio prodigus filius, dissipaui substantiam tuam, recessi à te in regionem longinquam dissimilitudinis, peccaui in cœlum & coram te, amplectere me ad te redeuntem, qui filium prodigum recepisti.

AVe Magister Sapientissime. En ego coram ta

te negligens discipulus, doce me facere voluntatem tuam, quia DEUS meus es.

AVe Pastor Vigilantissime. En ego coram te ouis errabunda. Erraui sicut ouis, quæ periit, quære servum tuum.

AVe Medice Prouidentissime, quem Spiritus Domini misit, vt medereris contritis corde. Agnosco infirmitates meas, præsertim N. sana Domine animam meam, quia peccaui tibi.

AVe Dux peregrinationis nostræ. En ego Viator à Patria aberrans, deduc me in semitam mandatorum tuorum: deduc me per vias rectas, & ostende mihi Regnum DEI.

AVe omnium donorum & gratiarum Dispensator. En sto ante te pauper, nudus, miser & miserabilis; omnia tibi dedit Pater in manus. Diues es in omnes, qui inuocant nomen tuum: das omnibus affluenter; da mihi Domine virtutem N. Da vsum salutarem huius Ss. Sacramenti, & tandem perseuerantiam finalem, in gratia tua.

*************:*************

CAPVT VIII.

Modus Audiendi Sacrum.

DUm prodit ad altare Sacerdos, imaginare Filium DEI de arcano Patris sinu, carne nostra amictum prodire ad Sacrificium pro salute

nostra

nostra DEO Patri offerendum, simul etiam vide pondus peccatorum nostrorum eiusdem humeris impositum, quod inclinatio Sacerdotis sub *Confiteor* significat, vbi confessione spirituali peccatorum DEO facta, petes contritus indulgentiam & absolutionem.

In Gloria in excelsis.

REcordare Natiuitatis Christi, eumque natum, ac SSS. Trinitatem pro natiuitate Verbi incarnati cum Angelis lauda, glorifica verbis & affectu huius hymni.

In Collectis.

REcole vitam Christi priuatam, in qua toties ipse pro nobis orauit. & in vnione harum orationum offer DEO orationes Sacerdotis.

In Epistola & Euangelio.

EXpende quomodo Christus obeundo Palæstinam prædicauerit Euangelij doctrinam, pro qua age gratias, vtq; eam exequaris, gratiam pete.

In Offertorio.

REpræsentatur vltima Cœna, in qua Christus se ipsum sub specie panis & vini obtulit, & hoc Sacramentum instituit: pro quo age gratias.

Deinde vsq; ad Consecrationem.

BReuiter percurre Passionem Christi Domini nempe Comprehensionem, Flagellationem, Coronationem, Contumelias: eundemq;

Regem dolorum, ad compensandas ipsi contumelias, cum sanctis Angelis lauda in Præfatione, cantando ipsi Sanctus, &c. Simul etiam pete vt Christum passum imiteris in patientia.

Eleuatio Hostiæ & Calicis.

REpræsentat Crucifixionem Domini, quem cum passione & sanguine ipsius effuso, per manus Sacerdotis offeras Deo in protestationem supremi dominij, in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs, in satisfactionem pro omnibus peccatis, & ad impetranda varia dona Dei, & gratias, tam tibi quam viuis & defunctis, pro quibus singillatim orabis, sub *Memento.*

Fractio Hostiæ.

SIgnificabit tibi separationem animæ Christi à corpore, & descensum ad limbum, vbi pete felicem mortem.

Deinceps vsque ad Communionem.

IMaginare Christum, de Cruce depositum in vlnis B. Virginis, cuius affectu amplecteris vulnera Saluatoris tui. Deinde per communionem spiritualem, semper ardens ipsius desiderium inuitabis Christum, deponesque in cor tuum, ceu in sepulchrum, eo tempore, quo Sacerdos communicat; petendo à Christo, vt in te per gratiam suam semper maneat.

Orationes post Communionem.

DEnotant Christi apparitiones post resurrectionem: vbi petes gratiam resurgendi à pecca-

peccatis, & felicem resurrectionem post mortem tuam.

Dum Sacerdos benedicit.

RECordare Christi in Cœlum ascendentis dum eleuatis manibus benedicebat Apostolis. Pete & supplex recipe ab eodem benedictionem.

*************.*************

CAPVT IX.

Praxis recitandi Coronam B. Virginis.

Oratio præuia.

PAter æterne, da mihi gratiam laudandi Filiam tuam. Fili DEI vnigenite, da mihi gratiam laudandi Matrem tuam. Spiritus Sancte Deus, da mihi gratiam laudandi Sponsam tuam. Tu quoq; ô dignissima Virgo & Mater Dei, dignare me laudare te. Ego hanc Coronam tibi offero per manus Angeli Gabrielis, corde ac ore ipsius, ac totius militantis & triumphantis Ecclesiæ; ad gustum Tuum, & gloriam accidentalem; in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs Tuis, ad compensandas omnes negligentias meas, in cultu & amore Tui; pro N. N. N. &c.

PRIMA DECAS.

In honorem Conceptæ & Natæ B. Virginis.

Pater noſter, &c.

1. A*Ve Maria* ab æterno, in primo genitam purarum creaturarum electa, *Gratia plena Dominus tecum, &c.*
2. Promiſſa & expectata in lege naturæ & ſcripta,
3. Impetrata precibus ſterilium parentum,
4. Præſeruata à peccato originali,
5. In inſtanti Conceptionis Tuæ reddita moraliter impeccabilis,
6. In inſtanti Tuæ Conceptionis libera à fomite concupiſcentiæ,
7. In inſtanti Tuæ Conceptionis, gratiâ & omnibus virtutibus ſuper omnes alias creaturas ornata,
8. In inſtanti Conceptionis Tuæ, ſcientijs infuſis & vſu rationis perfecto prædita,
9. Nata ad orbis decus & ſolatium,
10. *Aue Maria* inſignita nomine MARIÆ die 14. à Tuo natali, *Gratia plena, &c.*

Aue MARIA

Gratia plena Dominus tecum &c.

IESV Tibi ſit gloria, &c.

MARIA Mater gratiæ, &c.

DE-

DECAS SECVNDA.

In honorem pueritiæ & Maternitatis Marianæ.

Pater noſter, &c.

1. TRimula in templo præſentata,
2. Trimula votum Virginitatis prima emittens,
3. In templo contemplationi vacans, ad 14. annum ætatis,
4. Caſtiſſimo Ioſeph deſponſata,
5. Ab Angelo Gabriele ſalutata,
6. Filium Dei obumbrante Spiritu Sancto concipiens,
7. Eliſabetham viſitans & Ioannem ſanctificans,
8. Ob angorem Sponſi Ioſephi ſolicita,
9. Spatio nouem menſium Filium Dei in vtero portans,
10. Expectans horam virginei partûs.

Aue MARIA (left margin) — *Gratia plena Dominus tecum, &c.* (right margin)

IESV Tibi ſit gloria, &c.

MARIA Mater gratiæ, &c.

DECAS TERTIA.

In honorem partûs Mariani.

Pater noſter, &c.

1. A*Ve Maria* Bethleem profecta,ibiq; locum non habens in diuerſorio, *Gratia plena Dominus tecum, &c.*

2. In spelunca DEUM hominem sine corruptione & dolore parturiens,
3. Natum ex te Deum hominem adorans, & amplectens,
4. Deum hominem pannis inuoluens, & reclinans in præsepio,
5. Deum Infantem lactans vbere de Cœlo pleno,
6. Natum Messiam Pastoribus exhibens,
7. Circumciso Deo Filio condolens,
8. Nomen IESU Filio imponens,
9. Tribus Regibus Filium adorandum proponens,
10. In templo primogenitum tuum Deo offerens,

Aue MARIA — *Gratia plena, &c.*

IESV Tibi sit gloria, &c.
MARIA Mater Gratiæ, &c.

DECAS QVARTA.

In honorem Deiparæ seruientis Christo vsque ad passionem ipsius.

Pater noster, &c.

1. AVe *Maria* Fugiens cum Filio in Ægyptum *Gratia plena, &c.*
2. Per septennium cum Filio in Ægypto exulans,
3. Deum hominem in ciuitate Nazareth educans,
4. Suauissimo contubernio Dei hominis, pluribus annis fruens,

5. In

5. In templo amiſſum duodennem Filium quærens,
6. Poſt triduum invento filio gaudens,
7. Deum hominem Tibi ſubditum habens
8. Primum miraculum in Canæ nuptijs à filio impetrans,
9. Verba Filij concionantis in corde tuo conſeruans,
10. A Muliere, de turba vocem extollente publicè collaudata,

Aue MARIA. — Gratia plena, &c.

IESV Tibi ſit gloria, &c.

MARIA Mater gratiæ, &c.

DECAS QVINTA.

In honorem planctus DEI paræ.

Pater noſter, &c.

1. AVe Maria, Filio ad mortem abeunti valedicens, *Gratia plena, &c.*
2. Compaſſa filio capto, flagellato, ſpinis coronato,
3. Occurrens filio crucem baiulanti,
4. Stans iuxta Crucem Filij Crucifixi,
5. Ioanni à Filio è cruce commendata,
6. Ioannem pro Filio acceptans,
7. Cernens cum dolore filium morientem,
8. Cernens filio mortuo latus aperiri,
9. Depoſitum de Cruce filium ſinu excipiens,

Aue MARIA — Gratia plena, &c.

10. Filium mortuum sepulchro inferens,

IESV Tibi sit Gloria, &c.

MARIA Mater gratiæ, &c.

DECAS SEXTA.

In honorem DEI paræ gaudiorum & gloriæ.

Pater noster, &c.

Aue MARIA Gratia plena, &c.

1. A*Ve Maria*, Rediuiui filij prima conspectu & amplexu gaudens,
2. Filium in Cœlos ascendentem intuens,
3. Spiritu Sancto die Pentecostes cum Apostolis repleta,
4. Cum fidelibus in fractione panis Eucharistici perseuerans,
5. Apostolos in conuersione ad fidem populorum iuvans,
6. Præ amoris Diuini vehementia in complexu Filij, & in corona Apostolorum suauissime expirans,
7. Apostolorum humeris ad tumulum elata,
8. Cum anima & corpore ad Cœlos assumpta,
9. Ad Filij dexteram supra omnes Angelos exaltata.
10. Cœli terræque Regina declarata,

IESV Tibi sit gloria. &c.

MARIA Mater gratiæ, &c.

Ter-

Ternio vltimus.

Pater noſter, &c.

Aue Maria Laureola Martyrum coronata.
Aue Maria Laureola Doctorum coronata,
Aue Maria Laureolâ Virginum coronata.

Credo. Magnificat, &c.

Praxis recitandi Corollam 12. ſtellarum ſeu virtutum DEIparæ.

℣. Dignare me, laudare te, Virgo ſacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Pater noſter &c.

In honorem DEI Patris amantis B.V.M. vt filiam.

1. AVe Maria charitate DEI ardentiſſima, gratia plena, &c.
2. Aue Maria religione erga DEUM ornatiſſima.
3. Aue Maria pientiſſima.
4. Aue Maria obedientiſſima.

Pater noſter.

In honorem Filij amantis B.V. vt Matrem.

5. Aue Maria miſericordiſſima.
6. Aue Maria liberaliſſima.
7. Aue Maria manſuetiſſima.
8. Aue Maria patientiſſima.

Pater noſter &c.

In honorem Spiritus S. amantis B. Virg. ut Sponsam.

9. Aue Maria castissima.
10. Aue Maria pauperrima.
11. Aue Maria prudentissima.
12. Aue Maria veracissima.

In fine *Salue Regina.*

*************:*************

CAPVT X.

Variæ Coronæ per hebdomadam dicendæ.

Die *Dominico* in honorem SSS. Trinitatis recitetur in Maioribus globulis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEVS Sabaoth, plena est omnis terra gloria eius.* In Minoribus verò globulis: *Gloria Patri, &c.*

Feria Secunda. In honorem Angeli Custodis, in Maioribus globulis dicatur: *SS. Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo iudicio.* In Minoribus autem dicatur: *Angele DEI, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna custodi, rege & guberna.*

Feria Tertia. In honorem Beati Stanislai, dicatur in Maioribus globulis: *Gloria Patri.* In Minoribus: *Aue Beate Kostule, Cælestis horti floscule, meis da IESVM fletibus, da Dominum gemitibus.*

Feria

Feria Quarta. Recitetur in Maioribus globulis: *Pater noster.* In Minoribus verò: DEUS *meus & omnia, amo te super omnia.* Vel: DEUS *meus sis benedictus in æternum.* Vel: DEUS *propitius esto mihi peccatori.*

Feria Quinta. In honorem SS. Sacramenti. In Maioribus globulis: *O salutaris hostia.* In Minoribus: *Laudetur SS. Sacramentum.*

Feria Sexta. In honorem Passionis Domini. In Maioribus globulis: *Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per S. Crucem tuam redemisti mundum,* In Minoribus verò: *Qui passus es pro nobis, IESV Christe miserere nobis.*

Sabbatho. In honorem Beatæ Virginis. In Maioribus globulis recitetur: *Aue filia DEI Patris, Aue Mater DEI Filij, Aue Sponsa Spiritus Sancti.* In Minoribus autem repetatur suprema vox morientis S. Francisci Xauerij illa: *Mater DEI memento mei.* Vel B. Stanislai: *O Maria sis mihi propitia.*

****

CAPVT XI.

Obseruanda circa confessionem Sacramentalem.

Ante Confessionem Actus.

1. Confundere ac erubesce cum Publicano nolente oculos ad Cælum leuare.

DEVS

DEVS infinitæ Maiestatis, confundor & erubesco ante te, quod tanta fœditate peccatorum, animam meam sanguine Filij DEI emundatam, contaminauerim. Quod contra te Patrem, ego ingratissimus filius; contra te supremum Principem, ego rebellis servus; contra te Deum meum, ego vilissimus terræ vermiculus insurrexerim. Quod deniq; me tam exosum oculis tuis ac B. Virginis totiusq; curiæ Cœlestis reddiderim. Ah quam inops sum, quam nudus, gratiâ tuâ spoliatus, quam dignus sum ab omnibus creaturis contemni & odio haberi, propter peccata mea.

2. Admiraberis DEI erga te longanimitatem.

ET quomodo, o Iudex iustissime omnem contra me non armasti creaturam? Quomodo me viuum terra non absorbuit? Cur in me fulmina de Cœlo non ruerunt? Tua hoc clementia effecit, o Pater misericordiarum, qui me tunc etiam, cum te peccando oppugnabam, ad vbera tua gestabas, qui me ad hanc insuper pœnitentiam non solum exspectasti, sed etiam vocasti, & nunc amplexum & oscula mihi paras filio prodigo.

3. Deprecaberis DEUM offensum.

FRetus ergo misericordia tuâ, quâ peccatores recipis, ad te venio è regione longinqua dissimilitudinis prodigus filius, procido coram te cum seruo debitore, prouoluor ad pedes tu-

os

os cum Magdalena, & affectu omnium pœnitentium, qui tibi aliquando placuerunt, misericordiam supplex imploro. Peccaui Domine, miserere mei: patientiam habe in me: propitius esto mihi peccatori.

4. Retractatio & Dolor.

DAmno DOMINE, reuoco, & detestor omnia peccata mea, ideo quia tibi displicent, simulq; super omnia doleo ex motiuis omnium virtutum, quia te aliquando DEUM meum offendi. Doleo ex motiuo Charitatis, quia tibi summum bonum omni amore dignissimum materiam displicentiæ præbui. Doleo ex motiuo Spei, quia me à te ô Beatitudo mea auerti, & finem vltimum in creatura constitui. Doleo ex motiuo Religionis, quia tibi excellentissimæ Maiestati, cultum debitum peccando subtraxi. Doleo ex motiuo Obedientiæ, quia tibi supremo Legislatori inobedientem me præbui. Doleo ex motiuo Gratitudinis, quia tibi maximo Benefactori, pro tot beneficijs tot offensas ingratus exhibui. Doleo ex motiuo Iustitiæ quia Iuri tuo supremo, quod habes in me, contraueni. O vtinam exitus aquarum deducant oculi mei, qui non custodierunt legem tuam! O vtinam nunc omnium pœnitentium, lachrymas, contritiones, & amaritudines habeam, quibus defleam peccata mea.

5. Propositum:

AH quando tandem finis turpitudinis meæ! auxi-

dixi nunc cœpi, ſtatuo firmiter Domine cum auxilio gratiæ tuæ, omnia peccata præſertim NN. omneſque peccatorum occaſiones diligenter vitare. Proteſtor coram te & curia tua cœleſti vniuerſa, quod malim mori, & omnia aduerſa pati, quàm te peccato mortali offendere. Demergo igitur animam meam in ſanguinem tuum pretioſiſſimum, tempore Paſſionis tuæ in ablutionem peccatorum effuſum, & per eandem paſſionem ac mortem tuam, te rogo, vt deleas iniquitatem meam. Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

In ipſa Confeſſione.

PEtita à Sacerdote benedictione, recita imprimis Confiteor. *Deinde humiliter, diſtincte, integre, cum circumſtantiis neceſſariis, ac numero peccatorum grauiorum, non ſecus ac reus coram Iudice DEO, enumera peccata tua, hoc ordine, vt primo dicas peccata quæ reſpiciunt DEVM; deinde illa, quæ proximum concernunt, ac demum quæ te ipſum hoc, vel ſimili modo:*

Peccata contra DEVM.

ACcuſo me de omni tepiditate in cultu & amore DEI, Beatiſſimæ Virginis & Sanctorum Patronorum.

Coronas, examina conſcientiæ, aliaq; conſueta exercitia pietatis, quandoq; negligenter non cum debita attentione & reuerentia, ac deuotione abſolui: aut omiſi ex negligentia.

Miſſæ

Missæ sacrum die profesto ex negligentia omisi, aut etiam die festo.

Confabulatus sum in templo contra reuerentiam SS. Sacramenti.

Iuraui temerè vel falsò toties.

Inspirationibus Diuinis sæpe non obediui.

Omisi ex negligentia Indulgentias, aliasque occasiones meritorum.

Mentem ad DEUM raro eleuabam, nec memoriam præsentiæ Diuinæ habere studui.

Pro beneficijs à DEO acceptis gratias debitas ipsi non agebam.

Angelo Custodi debitam non exhibebam reuerentiam.

Non excitabam in me desiderium videndi DEUM in cœlo, &c.

Intentionem rectam in meis actionibus non habui.

Contra proximum.

MOtibus iracundiæ inhæsi contra proximum.

Locutus sum verba aspera, mordacia, contumeliosa.

Imprecatus sum malum eidem seriò, deliberatè, vel non. Signa impatientiæ alteri ostendi.

Detraxi famæ alterius grauiter vel leuiter.

Detrahentes non impediui.

Dehonoraui personam alicuius authoritatis.

Seminaui discordias inter aliquos.

Inuidebam alijs laudem vel honorem.

Iniu-

Iniuſtè accuſaui alterum cum damno ipſius graui vel leui.

Damnum alteri feci in bonis fortunæ.

Percuſſi alterum grauiter vel leuiter.

Contra ſeipſum.

COgitationibus ſuperbis vanæ gloriæ, vel nimiæ de me præſumptionis inhæſi.

Ambiui vanam laudem apud homines.

Aliqua dixi ad laudem mei pertinentia.

Imaginationibus impuris negligenter reſtiti, vel ijs inhæſi, & delectatus ſum deliberatè, vel non.

Dedi ijſdem occaſionem & qualem.

Colloquia obſcœna cum ſcandalo inſtitui, vel audiui cum delectatione, vel non impediui toties.

Negligens fui in cuſtodiendo aſpectu alijſque ſenſibus.

Curioſus fui in videndo, in audiendo, loquendo.

Temperantiam debitam in cibo & potu non ſeruaui.

Tempus otiosè conſumpſi.

In fine.

DE his atq; de omnibus totius vitæ meæ peccatis præſertim de omnibus impatientijs & verbis otioſis accuſo me, doleo ſuper omnia, ex amore DEI ſummi Boni, propono cum DEI gratia emendationem, peto pœnitentiam & abſolutionem.

Poſt

Post Confessionem.

Conferes te illicò ad agendas DEO gratias pro Beneficio absolutionis, confirmando propositum, & petendo perseuerantiam in gratia DEI, quam in hoc Sacramento obtinuisti, quod fieri potest hoc vel simili modo:

BEnignissime IESU, reuertor ad te cum leproso mundato, & cadens in faciem meam ante pedes tuos, gratias ago, quia me à lepra peccatorum sanguine tuo emundasti. Benedicta sit in æternum Bonitas tua, quæ me respexit longe errantem, & non proiecit à facie sua me canem fœtidum, sed omnia peccata mea post tergum suum proiecit. Quis sum ego Domine, quia dignatus es me rebellem tibi, me tuum contemptorem, me vilissimum terræ vermiculum, me fugitivum, tàm benignè trahere ad te, tam misericorditer osculo pacis donare. Tua hoc bonitas fecit ô Pater misericordiarum, qui me prodigum filium ad te reducem suscepisti, stola gratiæ induisti, paterno amplexu dignatus es. Misericordias igitur tuas in æternum cantabo, & benedicam te in omni tempore, qui propitiaris iniquitatibus meis, qui sanas omnes infirmitates meas, qui redimis de interitu vitam meam, qui coronas me in misericordia & miserationibus tuis.

Quis verò iam amplius me separabit à te ô bone IESU? an tribulatio? an voluptas? an mors? Nihil horum cum gratia tua mi DEUS. Statuo firmi-

firmiter custodire Iudicia iustitiæ tuæ. Malo mori quam fœdari, quia mihi bonum est adhærere tibi, quia tu omni amore dignus es.

Confirma Domine hoc propositum, quod in me operatus es. Adiuua me ô IESU, virtus mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus. Adesto mihi Diuina Mater, peccatorum refugium. Adeste Beati Cœlites, Patroni mei.

Quia verò adhuc tibi Domine ita debitor sum, vt non habeam vnde de meo satisfaciam; idcirco quidquid mihi deest, suppleo ex meritis tuis infinitis, quæ tibi vna cum meritis Pretiosissimæ Matris tuæ, & omnium tuorum Electorum, offero in satisfactionem pœnæ debitæ pro peccatis meis. Offero simul etiam cum illis meam hanc exilem satisfactionem Sacramentalem, quam nunc amore tui facio, ipse vindex scelerum meorum: tu eam suscipe & salua me.

Hic absolue pœnitentiam, cum sit pars integralis huius Sacramenti, ne protracta ad statum peccati mortalis tibi parum aut nihil prosit.

*************:*************

CAPVT XII.

Praxis sacræ Communionis.

Ante Communionem.

PRæmittenda est duplex præparatio, Remota & Proxima. *Remota* consistit I. in puritate cor-

te cordis, non ſolum à ſordibus peccati, ſed etiam ab affectu inordinato ad aliquam creaturam. Nam vt ait Spiritus Sanctus, anima ſaturata bonis terrenis, calcat hunc Cœleſtem favum Euchariſtiæ.

II. Conſiſtit in aliqua mortificatione pridie Communionis facienda: quæ mortificatio potiſſimum afficere debet linguam, & guſtum, quibus immediatè percipimus ſacram Euchariſtiam, vt ſic Agnus iſte Immaculatus ſumatur cum lactucis acerbis & agreſtibus.

III. Conſiſtit in excitatione feruentis deſiderij ad imminentem breui Communionem. *Proxima* verò præparatio complectitur hos affectus.

Actus Fidei.

CRedo firma fide, Domine IESU Chriſte propter tuam reuelationem, te ſub accidentibus Euchariſticis eſſe verè & realiter præſentem, vnà cum Diuinitate, anima, corpore, & ſanguine tuo pretioſo, & quidem per conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus tuum, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem. Illum inquam DEUM te præſentem credo, & confiteor in hoc Sacramento, qui ex Patre genitus es, ante omnia ſecula, eidem conſubſtantialis: qui pro ſalute noſtra incarnari, naſci, pati, & mori voluiſti, qui deniq; à mortuis rediuivus nunc ad dexteram DEI ſedes, Iudex viuorum & mortuorum. Tu es ipſe Rex meus, & DEUS meus. Tu Rex gloriæ

gloriæ Christe. Tu Patris sempiternus es filius. Tu ad liberandum, suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum. Tu ad dexteram Dei sedes in gloria Patris, &c.

Actus Gaudij.

GAude & exulta anima mea, ecce Rex tuus venit tibi. En ipse stat post parietem & velamen istorum accidentium Panis. En pulsat ad cor tuum, vt ipsi aperias. O quanta mea felicitas! Regem cœli & terræ meo suscipiam hospitio, illum complectar, quem castis suis visceribus, quem invlnis suis Virgo Mater gestauit, cuius visione omnes Beati in cœlo satiantur, &c.

Actus Humilitatis.

SEd vnde hoc mihi, vt Dominus meus veniat ad me? Quis enim ego sum Domine? & quis tu? Tu candor lucis æternæ, infinita puritas; ego putredo, ego summa fæditas. Tu immensa Maiestas, ego vermis & cinis. Ergo ne parum est tibi semel in stabulo pro me natum esse, quia iterum hodie ad hoc sterquilinium cordis mei intrare desideras? O Domine exi à me quia homo peccator sum: non est bonum hunc panem filiorum mihi cani putrido dare: non expedit hanc Redemptionis nostræ gemmam pretiosissimam ante porcum proijcere.

Actus Spei.

AT scio Domine, quia etiam catelli edunt demen-

mensis Dominorum suorum; scio quia debiles & claudos ad cœnam tuam inuitasti, quia cum peccatoribus manducasti, quia filium prodigum ad te reducem vitulo saginato tractasti. Audio etiam ex hoc Sacramento illam suauissimam vocem tuam: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Accedo ergo ad te fretus bonitate tua & clementia infinita, cum publicanis & peccatoribus: venio cum filio prodigo: Pater benignissime, fac me hodie, sicut vnum de mercenarijs tuis, qui in domo tua abundant panibus, ego enim fame pereo. Ecce infirmus sum; ad te ergo Medicum venio. Immundus sum ac sitiens; ergo ad te curro, fontem omnis puritatis. Frigidus ac tepidus sum; ergo ad te propero ô ignis, qui semper ardes, & nunquam extingueris, vt amore tuo accendar, & consumar. Tenebrosus sum; ergo ad te festino, vt illuminer à te ô lux mundi, ô Sol Iustitiæ. Viator sum, errans in via ad patriam: ergo ad te confugio, qui es dux, via, veritas & vita.

Inuocatio Sanctorum.

PRetiosissima Mater Dei, vosq; omnes Beati Cœlites, inuitate quæso hunc Regem vestrum ad tuguriolum cordis mei, præparate illud tanto hospiti, emundate, exornate vestris meritis, virtutibus, affectibus. Ornare illud vestra castitate, ô SS. Virgines; vestra humilitate, Confessores; vestra patientia, Martyres; vestra

charitate, Apoſtoli; veſtra fide, Patriarchæ & Prophetæ; veſtra deuotione, Angeli & Archangeli. Tu verò Mater Miſericordiæ depone ex vlnis tuis virgineis hunc filium tuum, in ſinum cordis mei, ſicut illum in duro præſepio reclinaſti, ſimulque concede mihi illos affectus amoris, quibus ſolebas eum amplecti, ſtringere, oſculari.

Deſiderium & Inuocatio Chriſti.

QVis mihi det te ô dulciſſime Iesu ſugentem vbera Matris meæ, vt amplectar te, & deoſculer? Pater æterne, qui ſic dilexiſti mundum, vt ei vnigenitum filium tuum dares, da mihi nunc eundem. Fili vnigenite Dei, qui de ſinu Patris ad terram deſcendiſti, deſcende Domine ad cor meum. Spiritus Sancte, qui Beatam Virginem Mariam dignum habitaculum Filio Dei feciſti, effice in mequoq; hoſpitium Filio Dei. Deſidero te millies mi Iesu, quando venies, me lætum quando facies? Quid mihi eſt in cœlo, & præter te quid volo in terra? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Paratum cor meum, paratum cor meum. Veni Domine & noli tardare, veni dulcedo mea, veni requies mea, ſalus animæ meæ, vita mea, Deus meus & omnia.

Poſt

Post Communionem.

Salutatio Christi & Adoratio.

DEsideratissime hospes animæ meæ, procumbo ad pedes tuos cum Magdalena, teq; supplex saluto in corde meo, &c. *Vide quæ supra dicta sunt cap. 6.*

Affectus Amoris.

IESV dulcis hospes animæ meæ, te super omnes diuitias, honores, voluptates & super omnia bona creata æstimo, & amo pure propter te, & bonitatem tuam infinitam. Æstimo autem & amo te, quantum est ex me summè intensiuè, summè appretiatiuè, Seraphicè, Marianè, Theandricè, modis possibilibus mihi, gratissimis tibi, tibi debitis, te dignis. Amplector pedes tuos, pro salute mea clauis transfixos; exosculor manus vulneratas; exosculor latus sacratissimum lancea perforatum. Amplector & exosculor caput spinis coronatum, & omnia ac singula vulnera, quæ pro nostra redemptione pati voluisti. Amplector autem te affectu Beatissimæ Virginis Matris, affectu S. Iosephi, B. Aloysij, &c. & omnium Electorum tuorum, siue comprehensorum. O quis mihi det illorum corda & affectus, ad te mi Iesu diligendum? Gaudeo quod ab illis ameris perfectè, eorumq; affectus siue iam elicitos, siue tota æternitate eliciendos, tibi nunc offero, vna cum illo affectu, quo te SS. Trinitas amat. Sancti Patroni mei amate in corde meo, laudate & magnifica-

 te me-

tè mecum hunc Dominum meum,& exaltemus nomen eius in idipſum.

Gratiarum Actio.

LIberaliſſime Domine, quomodo tam copioſè ſuper me indigniſſimum effundis beneficia tua? Quid tibi in me placuit, quòd ab æterno de me cogitaſti, meq; charitate perpetua dilexiſti, & vt ſpero ad gloriam æternam prædeſtinaſti: Quid promerui, quod me in tempore ex nihilo creaſti, relictis in abyſſo nihili infinitis creaturis melioribus? Quod me tibi ſemper rebellem huc vſq; conſeruas, & in ſinu tuo portas? Quid dignum in conſpectu tuo egi, quod pro me ſeruo tuo redimendo incarnari, naſci, laborare, pati, ac mori voluiſti? quod mihi reliquiſti infinita merita tua, doctrinam, exempla, ſacramenta? Quod me toties, non lacte vt mater filium, ſed corpore & ſanguine tuo reficis, & nunc etiam refeciſti? Quod deniq; me tot gratijs habitualibus ornaſti, tot gratijs actualibus præueniſti & adiuviſti? Agnoſco & amplector viſcera pietatis tuæ, quibus me diligis, agnoſco miſericordes oculos, quibus reſpexiſti ſuper canem mortuum, ſimilem mihi: atq; pro hac tua liberalitate, ac pro omnibus & ſingulis beneficijs, præſertim pro iſto ad me hodierno deſcenſu, tibi gratias ago in vnione omnium affectuum, quibus te laudant Sancti tui in cœlo. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſnnt nomini ſancto eius. Benedi-

cam

cam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

Oblatio Sui.

SEd quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Nihil habeo Domine, niſi iſta duo æra minuta, corpus & animam, niſi me ipſum, & quidem iam tot titulis tibi debitum. Meipſum ergo tibi in Sacrificium trado, & offero. Suſcipe Domine Intellectum meum, & Memoriam, vt de te, propter te cogitem. Suſcipe Voluntatem, vt id velim quod tu vis, id nolim quod tu non vis. Suſcipe Cor meum, vt te ſolum amet. Suſcipe deniq; omnes animæ meæ & corporis Potentias ac vires, vt in omnibus ſuis operationibus, ad ſolam nominis tui gloriam tendant.

Petitio.

DOmine non dimittam te, donec benedixeris mihi. Benedic quæſo ſicut vis, ſcis, & potes cordi meo, vt te diligat. Benedic omnibus animæ meæ facultatibus, ne te vnquam offendant. Da mihi veniam peccatorum meorum, da profectum in virtute præſertim N. Da vſum ſalutarem huius ſacramenti, vt in fortitudine cibi huius, coram te ambulem perfectè, donec perueniam ad te ô Deus meus, vnicum ac ſummum bonum meum.

Ad B. Virginem.

AD te etiam ſupplex accedo Virgo & Mater

Dei ac Domina mea. Ago tibi gratias, quod hunc Filium Dei Dominum meum, quem ego nunc in sacramento suscepi, in vterum tuum suscepisti, quod ei sanguinem tuum purissimum ad formandum hoc corpus suppeditasti, quod illum pro hoc vsu meo nutriuisti & educasti. Beata viscera tua, quæ portauerunt hunc æterni Patris filium, & beata vbera, quæ lactauerunt Christum Dominum. Tu in me illum amplectere. Tu illi canta in corde meo illud tuum Magnificat, quo SS. Trinitatem delectasti: Tu mihi concede illos tuos affectus amoris, quibus eundem siue in vtero, siue in vlnis tuis prosecuta es: ac demum impetra quæso mihi ab illo vel micam donorum & gratiarum, quas ipse tibi pro hospitio rependit.

*************:*************

CAPVT XIII.

Actus Virtutum Theologicarum & Moralium.

Habentur in Corde Sancto Theophili Mariani, *à nobis edito, quò Lectorem remitimus.*

CA-

****

CAPVT XIV.

Praxis Laudandi DEUM.

IN qualibet creatura, quam ſenſu percipis, adora, lauda & ama aliquam perfectionem Dei, in tali creatura relucentem. V. g. in cœlo magnitudinem, in ſole claritatem, in flore pulchritudinem: *O quam pulchrior, quam clarior Domine, &c.*

2. DEO age gratias pro creatione, conſeruatione, cooperatione, gubernatione, omnium & ſingularum creaturarum. O Domine ſis benedictus in æternum, qui me cum hoc Sole illuminas, cum hoc igne calefacis, cum hoc flore recreas, &c. Quot ſtellæ in cœlo, quot guttæ in mari, quot atomi in terra, quot creaturæ in hoc vniuerſo ſunt, fuerunt & erunt, toties te pro omnibus & ſingulis momentis creationis ipſarum, & conſeruationis, nec non concurſus tui cum ipſis, laudo & glorifico.

3. Omnia bona opera omnium hominum & Angelorum, quæ tibi Domine vnquam placuerunt, vel adhuc placebunt, approbo, & tibi offero ad guſtum tuum: è contra quot peccata in hoc vniuerſo fuerunt, ſunt & erunt, toties illa deteſtor, & retracto, teq; amo ſuper omnia, in recompenſationem aliquam pro illis.

4. Facio tale pactum ô DEUS tecum. Quoties

per hunc diem respirabo, toties in me volo trahere corda, & affectus electorum tuorum, atq; illis toties te amare, & laudare, & quidem in proportione geometrica dupla; ita vt sequens affectus sit duplo intensior, quam fuerit præcedens.

5. Conuersus ad quatuor Orbis partes, quater genu flecte, adorando DEUM nomine omnium hominum in mundo viuentium, præsertim fidelium & peccatorum, dicendo cum Seraphinis: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus* DEUS. Vel: *Regi seculorum immortali soli DEO honor & gloria.*

*************:**************

CAPVT XV.

De modo colendi Christum Dominum, & Festa ipsius per Annum celebrandi.

Vniuersaliter ad cultum Christi Domini hæc conducent.

1.

FRequenter illum adorare, siue in Eucharistia, siue in Cœlo, vbi illum contemplaberis vt Gubernatorem, vt summum Pontificem, vt omnium gratiarum Dispensatorem, dicesq; dum cœlum aspicis: *Sedenti in throno DEI, & Agno honor & gloria.*

2. De-

2. Desiderare & procurare, vt gloria & amor Christi promoueatur vbiq; & semper.

3. Procurare vt actiones tuæ sint similes actionibus ipsius.

4. De illius officijs, excellentijs ac meritis, loqui, legere, meditari.

5. Honorare illum in proximis tanquam Caput in membris.

6. Offerre sæpius ipsius merita, SS. Trinitati, offerre etiam Patri æterno illud Sacrificium, quod Christus Dominus perpetuò offert in Cœlo: *Pater respice in faciem Christi tui.*

7. Elicere 33. affectus erga Christum, in honorem 33. annorum ipsius vitæ. Sunt autem hi, vel similes.

Affectus erga D. IESVM.

Qui etiam disponi possunt per decades Coronæ.

1. *Adoratio.*

IEsu Excellentissime, te adoro cultu latriæ verum DEUM ac supremum Dominum meum.

2. *Fides.* IESV Veracissime, in te credo, & omnia quæcunque reuelasti, firmissime amplector propter te.

3. *Spes.* IESV Benignissime, in te spero & per merita tua, veniam, gratiam & gloriam.

4. *Amor.* IESV Amabilissime, te super omnia bona creata æstimo, ac diligo toto cordis mei affectu.

5. *Gratulatio.* IESV Perfectiſſime, cum tota Eccleſia gratulor tibi, & gaudeo de tua Diuinitate, de omnibus excellentijs tuis.

6. *Gratitudo.* IESV Beneficentiſſime, pro tua incarnatione, doctrina, meritis, ſacramentis & pro gratijs omnibus, ſis benedictus in æternum.

7. *Zelus gloriæ Chriſti.* IESV Honorabiliſſime, deſidero vt ab omnibus creaturis rationalibus ſuper omnia lauderis & ameris in æternum.

8. *Dolor.* IESV Digniſſime, doleo ſuper omnia mala, de omnibus peccatis, negligentijs, ac irreuerentijs, quibus aliquando à me, & ab omnibus peccantibus offenſus es.

9. *Oblatio ſui.* IESV Liberaliſſime, totus ſum tuus, eroq; in æternum, ſicut tu totus meus eſſe voluiſti.

10. *Petitio.* IESV Miſericordiſſime, per vulnera tua eſto mihi IESVS & Saluator nunc & in morte mea.

Hi affectus cum ſemper vſurpari poſſint, ſunt tamen alij, qui magis ſunt accommodati ſingulis feſtis Saluatoris, de quibus aliquid dicendum.

In Aduentu Exercitia.

I.

VIſitabis ſæpius in vtero Beatiſſimæ Virginis Chriſtum, tanquam in carcere pro liberatione tui exiſtentem, & in honorem nouem menſium, quibus ibi manſit, elicies nouem actus, quales ſunt, Fides de Incarnatione Verbi Diui-

ni, Adoratio eiusdem Verbi Incarnati, Amor eiusdem, in vnione amoris, quo illum in vtero suo amabit Beatissima Virgo, Gratiarum actio pro beneficio Incarnationis, & similes.

2. Quoniam DEVS per incarnationem specialiter manifestauit sua attributa, benedices omnia & singula, hoc modo: Domine sit benedicta ab omnibus super omnia tua Potentia, quam ostendisti vniendo tam mirabiliter Verbum humaniati. Sit benedicta Sapientia tua, qua inuenisti modum tam proportionatum saluandi genus humanum. Sit benedicta Liberalitas tua, qua nobis filium tuum, & omnia cum illo donasti. Sit benedicta Misericordia tua, qua nostras miserias suscepisti. Sit benedicta Iustitia, cui vt satisfaceres ad æqualitatem pro nostris peccatis, carnem passibilem suscipere voluisti, &c.

3. Imitando VERBVM Incarnatum, in honorem ipsius muti & humiliati, hoc tempore exercebis te potissimum in refrenandis vitijs linguæ, & in actibus humilitatis. Item ad imitandam vnionem hypostaticam, exercebis te in vnione morali cum DEO, quæ consistit in destructione amoris proprij, qui est velut subsistentia hominis veteris & terreni, & in amore DEI, per quem homo vnus cum DEO spiritus efficitur.

4. *Petitiones* hoc tempore istæ possunt esse: VERBVM *Incarnatum, de cælo in terram descendens, da vt ego hinc in cælum tendam, & peruenıam.*

am. Fili DEI, qui factus es filius hominis, da vt ego fiam Filius DEI.

O Sapientia Incarnata, quæ ad me docendum venisti, da vt obseruem doctrinam tuam.

Tessera hoc tempore frequenter repetenda, sit hæc: *Veni Domine & noli tardare.*

In Natiuitate Domini.

1.

ALiquoties de die, nunc cum Pastoribus, nunc cum Angelis cantantibus Gloria in excelsis, nunc cum Magis, salutabis & adorabis in stabulo Christum natum, hoc modo: VERBVM Incarnatum, adoro in hoc paruo tuo corpusculo, immensitatem tuam, qua cœlum & terram imples. Adoro in hac paupertate diuitias gloriæ tuæ. Adoro in hac tenella ætate, tuam æternitatem. Adoro in hac muta infantia tuam sapientiam infinitam. Adoro in hac carne mortali tuam immortalitatem. Salue Rex Regum, Rex pacifice, Princeps pacis, veni & impera nobis. Salue o lux mundi illuminans pastores: illumina quæso tenebras meas. Salue pastor, quærens in hoc stabulo ouem perditam: quære me, quia ouis sum perdita. Salue Magister veritatis, docens ex hac Cathedra præsepij: doce me facere voluntatem tuam.

2. Toto die per imaginationem versaberis in sacro stabulo, in quo natus est Christus. Itaque decumbes prope bouem & asinum, qui Christo præstabat obsequium. Dum te indues, recor-

dabe-

daberis fasciarum Christi Infantis. Dum comedes, recordaberis lactis virginei, quo Christum Virgo Mater nutriebat. Audiendo cantum, recordaberis cantûs Angelici in stabulo. Dum examen facies, putabis te cum S. Iosepho verrere stabulum, iuxta illud Dauidis: *Scopebam Spiritum meum.*

3. Communio sacra sic fieri potest. Cor tuum est stabulum, in quo Christus nasci debet per gratiam, quam immundum & bestialibus affectibus plenum! *Primo* ergo te humiliabis coram DEO. *Secundo.* Emundabis cor tuum per contritionem. *Tertio.* Videndo quod non sit locus Christo nato in diuersorio, inuitabis eum ad cor tuum, petesque à Beatissima Virgine, vt filium suum in corde tuo tanquam in duro præsaqio deponat. *Quarto.* Sic introducto Christo per Communionem ad stabulum cordis tui, varia illi obsequia præstabis: itaque adorabis eum cum Pastoribus ac Magis, offeresque aliquam spontaneam incommoditatem, quam suscipies in honorem Christi, aliquid simile in sua Natiuitate patientis. Complecteris ipsum affectu Sancti Iosephi & Beatissimæ Virginis, ac velut Bos & Asinus, comparatus scilicet iumentis insipientibus, eundem amore tuo feruenti calefacies. Ligabis fascijs non tam illum, quam tuam rebellem voluntatem, faciendo aliqua sancta proposita. Parabis balneum illi ex lacrymis contritionis, & compassionis erga Saluatorem tuum iam in sua Infantia pro te pati incipientem.

entem. *Quinto.* Obturabis foramina sensuum tuorum, interdiu custodiendo oculos, linguam, aures, ne ventus frigidus tepiditatis incommodum offerat Christo, quem in cor tuum suscepisti.

Tessera huius diei, ad singulas horas pronunciandа hæc erit: VERBVM CAROFACTVM EST, *& habitauit in nobis,* Vel: IESV *tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.*

In Nouo Anno.

1.

REuocabis in mentem beneficia, quæ hoc anno à DEO recepisti, & in gratiarum actionem offeres IESVM in circumcisione cruentatum.

2. Cum dolore commemorabis tibi peccata quibus DEVM anno elapso offendisti, & in Sanguine Christi in circumcisione effuso, ablues animam tuam, statuesque firmiter pro anno sequenti melius DEO seruire, & vitare peccata, præsertim aliquot grauiora in particulari.

3. Pro strena offeres SS. Trinitati IESVM natum & circumcisum, per quem pro strena viciſſim petes benedictionem & gratiam sancte viuendi in anno sequenti.

Tempore Paſſionis.

1.

NVllum diem omittes, quo aliquid de Paſſione Domini non mediteris, vel legas, ea quæ inferius habentur.

2. Mortificationes hoc tempore crebrius vsurpan-

ſurpandæ, quales ſunt diſciplinæ, catenulæ, ſomnus in lecto duriore,&c.&c. In honorem flagellationis, vinculorum, & crucifixionis Dni.

3. In Actionibus ordinarijs retinebis memoriam Domini patientis, iuxta ea, quæ circa hoc dicta ſunt cap. 3.

4. Videndo Imaginem Chriſti patientis, vel audiendo aliquod myſterium paſſionis, excitabis in te affectum gratitudinis, & offeres Chriſtum patientem pro tuis peccatis, quaten⁹ Chriſto patienti oppoſitis. E. g. Sudorem Chriſti pro tua tepiditate in obſequio Diuino, flagellationem pro ſenſualitate, ſpineam coronam pro ambitione, contemptum Domini pro ſuperbia, crucifixionem pro impatientia, &c.

5. Curabis pro tua parte compenſare ea, quæ Dominus pro te patitur. Itaque adorabis Maieſtatem eius contemptam, amabis Bonitatem infinitam odio habitam, laudabis & glorificabis Sapientiam deriſam, Innocentiam contumelis affectam, Sanctitatem inter ſceleratos reputatam, dicendo: *Domine quot contemptus, quot contumelias, quot odia pertuliſti, tot tibi affero affectus laudis, honoris, amoris.*

6. Affectu compaſſionis omnia & ſingula vulnera Saluatoris ſalutabis hoc modo: Aue ſedes Sapientiæ Caput Saluatoris mei, pro mea ſuperbia corona ſpinea redimitum: heu me, ego te meis cogitationibus ſuperbis, inhoneſtis, &c. ceu ſpinis laceraui. Aue Frons ſole ſerenior ſpinis cruentata, in lapſu percuſſa. ignoſce quæ-

ſo

so inuerecundiæ meæ. Auete Oculi, cæli sydera, pro me velati, contusi, livore pleni: adoro vos, & damno meam curiositatem, meam vanitatem, &c. Auete Aures, portæ cordis, semper ad orationem nostram apertæ, & in Passione contumelijs sauciatæ: vtinam aures meæ sint apertæ inspirationibus diuinis. Aue Vultus, Angelis desiderabilis, per alapam tuam, per sputa; non te auertas à me. Aue dulce Os, pro me felle & siti cruciatum. Aue Collum funibus constrictum, felle imbutum, propter meam intemperantiam. Auete Humeri crucem sustinentes, & flagellis cœsi. Auete Manus, vnde bona omnia procedunt, ligatæ & clauis transfixæ, pro nostris rapinis, vindictis alijsque manuum peccatis. Auete Pedes perforati. Aue Latus apertum, porta Domini, per quam Iusti intrant, fenestra humanitatis; intrem & ego per Te ad vitam æternam. Aue deniq; Cor Domini mei dulcissimum, Regia charitatis, refugium miserorum, meis voluptatibus afflictum, cruciatum, ac tanto erga nos amore accensum, per hoc ipsum Cor tuum. Te rogo bone IESV, ne permittas, vt sanguis tuus pretiosus sit pro me frustrà effussus.

Tesseræ huius temporis. *Qui pasus es pro nobis, IESV Christe miserere nobis.*

In Resurrectione Domini.

I.

SAlutabis Christum Dominum Rediuiuum, cum

cum Beata Virgine, cum sanctis mulieribus, cum Apostolis &c.

2. Credes firma fide, eum resurrexisse verè.

3. Sperabis per mortem eius felicem resurrectionem.

4. Gaudebis de eius resurrectione, & de dotibus gloriosi corporis.

5. Petes à vitijs resurrectionem spiritualem.

Tessera huius temporis, hæc erit: *Viuat IEsus rediuiuus. Credo quod Redemptor meus viuit.*

In Ascensione.

I.

PRostratus ad pedes Christi Domini ascendentis, cum Beata Virgine, & Apostolis, valedices ipsi, & gratias ages pro laboribus spatio 33. annorum toleratis, ac pro consummato opere nostræ redemptionis.

2. Offeres illi abeunti pro viatico cor tuum, vt illud secum accipiat, & à terra attollat, cœloque affigat. Offeres & aliquas tuas resolutiones ac proposita transmittenda per Christum SS. Trinitati, v. g. Quod DEum nullo peccato mortali offendere velis; quod gloriam eius maiorem propagare cupias &c.

3. Petes humillimè vt eleuatis manibus benedicat tibi, illâ benedictione, quam dedit SS. Apostolis.

4. Gaudebis de gloriosa eius ascensione & exaltatione nominis ipsius, ac de illo amplexu,

quo

quo SS. Trinitas Christum suscepit in cœlo.

5. Gratias ages SS. Trinitati pro ista exaltatione triumphali Christi Domini. Gratias item ages Angelis & SS. Patriarchis, quod Christum triumphantem ad cœlum deduxerint, ibique Regem suum adorauerint.

6. Adorabis in cœlo Christum, vt Regem, vt supremum Pontificem, vt Aduocatum, & Thesaurarium.

7. Desiderabis cum illo esse, & viuere in æternum.

Tessera huius diei sit hæc: IESV *tibi sit gloria, qui victor in cælum redis. Sedenti in Throno DEO, & Agno honor & gloria.*

Die Pentecostes.

Tale exercitium proponit P. M.P. Gaspar Druzbicki Societ: IESU in MSS.

1.

Concipiatur æstimatio dignitatis, bonitatis, potentiæ, quam habet Spiritus Sanctus.

2. Desiderium eius præsentiæ.

3. Inuestigatio eorum, quæ me impediunt, quo minus Spiritum Sanctum plenè capiam, cupientem se mihi per sua dona copiosà communicare.

4. Mei abiectio, humiliatio, annihilatio, in eius conspectu.

5. Ad-

5. Addi poteſt gratiarum actio, pro deſcenſu in Apoſtolos, & pro omnibus illuſtrationibus ac inſpirationibus, mihi à Spiritu Sancto datis.

6. Addi poteſt dolor de defectibus, quibus reſtiti Spiritui Sancto, eumq; in me contriſtaui.

7. Inuocatio eiuſdem ad animam, tanquam ad templum ſuum; veniat ignis ad frigus, aurum ad lutum, ſpiritus ad carnem. Vbi adhiberi poteſt interceſſio Beatæ Virginis & Apoſtolorum recipientium Spiritum Sanctum.

8. *Petitio* eorum donorum à Spiritu Sancto, quibus hodie repleuit Beatam Virginem & Apoſtolos.

Teſſera huius diei; *Veni Sancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium.* Vel: *Cor mundum crea in me DEVS, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Pſal. 50.

In Feſto Corporis Chriſti.

Præter ea quæ dicta ſunt de viſitatione SS. Sacramenti, quam in hoc feſto ſæpius repetere par eſt, ad deuotionem ſequentes iuuabunt:

Affectus erga SS. Sacramentum.

1.

CRedo firmâ fide, & confiteor Domine IESV Chriſte, te in hoc Sacramento eſſe verum DEVM & hominem, & quidquid ſancta Mater Eccleſia credendum proponit, firmiſſimè amplector.

2. *Ado-*

2. *Adoro* te, hic præſertim, cultu latriæ, affectu totius Eccleſiæ militantis & triumphantis.

3. *Gaudeo* de omni honore & gloria, quam habes ab Angelis, & fidelibus per totum mundum, in hoc Sacramento.

4. *Doleo* de omnibus hæreſibus, blaſphemijs, ſacrilegijs, irreuerentijs, quibus ab hæreticis & malis Catholicis in hoc Sacramento offenderis.

5. *Ago tibi gratias* cum tota Eccleſia tua, pro inſtructione, adminiſtratione, & vſu huius Sacramenti, tàm mihi. quàm alijs, conceſſo.

6. *Deſidero*, vt ab omnibus creaturis rationalibus adoreris, & glorificeris in hoc Sacramento, & digne ſuſcipiaris &c.

7. Domine totus ſum tuus, eroque in æternum, ſicut totus meus eſſe voluiſti in hoc Sacramento.

8. SS. Trinitas reſpice in faciem Chriſti tui hic vere præſentis, quem tibi nunc offero, in ſacrificium Latreuticum, Euchariſticum, Propitiatorium, Impetratorium.

9. Da mihi quæſo gratiam, vt te in hoc Sacramento, prout oportet, colam, & ſuſcipiam, ac demum in cœleſti conuiuio da, vt te fruar in æternum.

Teſſera huius diei ad ſingulas horas repetenda: *Laudetur SS. SACRAMENTVM.*

CA-

*************:**************

CAPVT XVI.

Breues Meditationes de Passione Domini.

Christus Valedicit SS. Matri.

1.

COnſidera anima mea, quàm obediens fuerit Christus voluntati Patris æterni, cui vt obediret, voluit etiam Matri ſuæ Sanctiſſimæ, quam adeò amabat, valedicere, ipſamq; relinquere ac affligere, properando ad crucem, & dolores, ac cruciatus acerbiſſimos. Tu verò quoties ad DEI inſpirationes obſurdeſcis! quam nimis es affixus rebus creatis, quæ te in amore DEI impediunt! Erubeſce coram DEO, & nunc tandem dic vale omnibus ſalutis impedimentis, quamvis tibi chariſſimis, idq; amore Christi, & ſtudio imitandi ipſum.

2. Conſidera, quo dolore, quibus lacrymis excepit hanc valedictionem Filij ſui SS. Mater, quæ tantoperè Christum, non vt hominem tantum, ſed etiam vt DEVM diligebat: ex altera parte, vide quàm patienter, hoc triſte nuntium tulit; non conquerendo, non ſigna vlla impatientiæ oſtendendo, ſed potius conformando ſe diuinæ voluntati. Tu verò dum priuaris aliquo ſolatio, dum tibi DEVS aliquam affli-

Christus tristatur & sanguine sudat.

1.

VIde & imaginare Christum pallentem, tristem, tœdio afflictum, quales solent esse agonizantes, & considera quod hæc tristitia fuerit tanta, vt sufficeret ad mortem, prout ipse Dominus dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Tum quære ex Christo: IESV, voluptas cordium, quis te adeò afflixit! Respondebit ipse proculdubio, te fuisse causam tristitiæ, illa tua voluptate, illis tuis peccatis, quæ tunc Christus in horto videbat, & quæ tantopere nunc horrebat, ac detestabatur. Quibus expensis, excita in te summum odium, ac detestationem peccati, præsertim illius in quod sæpius laberis. Pete à Christo mœrente contritionem de peccatis. Statue aliquod solatium Christo mœrenti afferre. Commenda Christo agonizantes tuamque agoniam, & illa tua tœdia extrema, pauorem ac tristitias, coniunge Christi tædijs, pauori ac tristitijs.

2. Vide Christum, sanguine sudantem, vide defluentes guttas sanguinis primò in vestem, deinde in terram. Hæc admiratus, quære causam huius prodigiosi sudoris; quæ non est alia, nisi quod Christus pro salute tua, tantum laborauerit vsq; ad sudorem sanguineum. Tu verò quàm parum laboras pro salute tua, quid hactenus pro illa ardui superasti? Cui tentationi vsque ad sanguinem restitisti? quid heroicum

gene-

generose fecisti? Confundere. Collige istas guttas sanguinis tanquam gemmas pretiosas, & repone in corde tuo. Suppone terram cordis tui isti pluviæ sanguineæ, & pete à Christo, vt hoc rore pretioso cor tuum aspergat, reddatq; fertile ad producendos flores & fructus virtutum. Denique statue, vsq; ad sudorem, vsq; ad Sanguinem, pro DEO, pro cœlo, pro anima tua generose operari.

Christus Comprehenditur.

I.

CONsidera ex vna parte furorem satellitum, quo in Christum velut in agnum lupi irruerunt, eumq; funibus & catenis ligarunt ad instar prædonis. Ex altera parte vide mansuetudinem Christi, non repugnantis, sed sponte manus offerentis ad vincula. O Samson inuictissime, quis te his compedibus ligauit? Nemo alius ô anima nisi amor tui, aut potius peccata tua; ita enim dicit per Prophetam: *Funes peccatorum circumplexi sunt me gratis.* Ergo tam duro eris corde, vt videns amore tui ligatum DEVM hominem, non permittas te ab eo ligari, non catena ferrea, sed aurea amoris? Non vt amittas libertatem, & vitam, sed vt maiorem acquiras libertatem & vitam æternam. Instat tam diu ad portam cordis tui pulsans DEVS, vt te liget sibi in victimam, sibique adstringat. Dona te aliquando ipsi, qui se tibi ad tam dira tormenta donauit. O Domine liga cor meum amo-

amore tuo; liga memoriam, vt tui ſolius recordetur, oculos, ne videant vanitatem; liga manus, ne operentur iniquitatem; liga linguam, ne quod tibi diſplicet loquatur; liga pedes, ne ambulent in via peccatorum; liga me totum vinculis charitatis, vt viuam totus tuus in æternum.

2. Chriſtus tam crudeliter ligatus, ad terram à nefarijs ſatellitibus proſternitur, eorumq; pedibus conculcatur. Vide anima mea, Dominum gloriæ, Regem maieſtatis, cui curuatur omne genu, qui ſedet ſuper Cherubim, cuius cœlum ſedes eſt, ſub pedibus viliſſimorum hominum iacentem. O quantum ſe demiſit pro te tanta maieſtas! & tu puluis & ciuis, terræ vermiculus, tam ſtudioſe alta petis, omnibus cupis eminere, nulli vis ſubijci. Erubeſce & deſiſte tuam ſuperbiam, diſce à Chriſto conculcato humilitatem, diſce alijs ſubijci. Offer DEO iſtam Chriſti humilitatem, pro tua ſuperbia, & pete hanc virtutem à Chriſto pro amore tui conculcato.

Chriſtus ad Annam alapâ cæditur.

1.

CONſidera, quomodo Chriſtus ab Anna Pontifice interrogatus de ſua doctrina, cum modeſtè reſpondiſſet ſuam doctrinam eſſe publicam, ob hoc moleſtum reſponſum, ab vno miniſtrorum alapam accepit. Expende quàm fuerit hæc alapa Chriſto tantæ dignitatis Perſonæ, in tot ſpectantium præſentia, non ſolum grauiter contumelioſa, ſed etiam crudelis, cum

fuerit inflicta manu armatâ, ita vt Christus in terram prolapsus sit. Contemplare ergo faciem Christi liuidam, vide signa illius sacrilegæ manus, faciei Christi impressa, & obstupesce tantum scelus, Christoq; patienti compatere, sed simul vide tuam impietatem. O quoties & tu faciem Christi percussisti! non volendo audire eius vocem, quâ tibi ad cor loquitur, contemnendo ipsius vocationem ad statum meliorem, non æstimando Christi Consilia. Igitur cum dolore pectus tuum percute, & osculare Crucifixi imaginem, petendo veniam, & emendationem proponendo.

2. Considera patientiam & mansuetudinem Christi: pro tam crudeli & ignominiosa alapâ, non euocat è cœlo fulmina, non malum imprecatur, non signum ullum impatientiæ ostendit, non prorumpit in verba mordacia, sed mansuetissime respondet: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem benè, quid me cædis?* Admirare hanc patientiam & mansuetudinem; simul te reflecte supra tuam impatientiam, dum vno verbo, vnâ leui confusione prouocatus, tàm facile excandescis, nihil nisi minas & vindictam spiras, in tot verba aspera & maledicta prorumpis. Confundere, disce à Christo mansuetudinem & patientiam, eamque propone, ac pete à Christo mansuetissimo.

Chri-

Christus apud Caipham.

1.

VIde Christum ligatum stare cum omni modestia ante Caipham; Considera quàm iniustè ipsa Innocentia & virtus DEI in illo concilio accusatur! quomodo ille qui est Sanctus Sanctorum, & author vitæ, pronuntiatur blasphemus, & Reus mortis iudicatur. Hinc agnosce, quàm sint erronea Iudicia humana, quæ Christum condemnarunt, ac proinde quam parui sint æstimanda. Tu verò quàm studiosè ea quæris! quantum affligeris, cum iniustè accusaris aut condemnaris. Erubesce, & disce exemplò Christi pati accusationes, calumnias, & Iudicia hominum, atq; ad hæc toleranda offer te, amore Christi iniustè accusati & condemnati, à DEO auxilium petendo.

2. Considera alias iniurias, quas hac nocte passus est Christus in domo Caiphæ. Nam alligatus ad columnam fuit expositus tanquam meta opprobriorum furori satellitum, quorum aliqui velarunt faciem eius, alij pugnis & alapis eum cædebant, alij in faciem eius spuebant, alij capillos euellebant. Admirare hoc spectaculum, & compatere ex corde Christo, tanta pro amore tui patienti, simul etiam dole, quod tu quoq; velare soleas oculos Christi, quando ita liberè peccas, ac si te peccantem DEVS non videret. Dole, quod in faciem Christi spuas, dum in præsentia illius effutis verba inhonesta,

spuris omnibus turpiora. Dole, quod Christo alapam infligis, cùm alios confundis, & ex amore Domini tui abhinc serio corrige corrigenda.

Christus apud Pilatum.

I.

COnsidera calumnias Christo impositas à Iudæis apud Pilatum, tam enormes. Nam appellatus est malefactor, seditiosus, ambitiosus, læsæ maiestatis reus: & tamen fuit innocens, segregatus à peccatoribus, Sanctus Sanctorum. Ex altera parte considera silentium Christi, cum nec per se nec per alium voluerit refutare calumnias, licet facile potuerit, & licet fauentem sibi Iudicem habuerit. Hinc verò reflexione supra te factâ, vide an tu quoq; in aliquo innocente Christum non es calumniatus, an non infamaueris, & detestare hoc vitium, ac pete à DEO charitatem proximi. Deinde vide quo silentio toleras columnias, iniquas accusationes, detractiones, & ad illas tolerandas te resolue amore Christi, petendo patientiam.

2. Expende illa verba Christi, cùm interrogatus à Pilato: *Ergo Rex es tu?* Respondit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Quibus verbis docet Christus, nos, qui Christum adoramus, non debere inhiare mundanis diuitiis, honoribus, voluptatibus, quæ omnia transeunt, sicut fumus & vmbra, sed potius studere congregandis meritis, & diuitijs æternis, spectando in omnibus nostris actionibus Regnum cœlorum, &

glo-

gloriam æternam, ad quam creati ſumus. Tu verò ô quantum affixus es mundo eiuſq; fallacijs, quàm raro ad bona æterna & cœleſtia aſpiras: & tamen te Chriſti ſequacem eſſe dicis. Erubeſce mendacium iſtud, & pete à DEO gratiam, vt tibi vileſcant omnia tranſitoria, & chara ſint bona æterna.

Chriſtus apud Herodem.

1.

COnſidera quomodo Chriſtus per plateas vrbis publicas, ſpectante populi multitudine, cinctus funibus & catenis, ab vno tribunali ad aliud, tanquam Latro ducitur, aut potius trahitur; quomodo a ſatellitibus nefarijs nunc pugnis, nunc calcibus tunditur, quomodo ab inſolentiſſia plebe, cui tot beneficia præſtitit, illuditur, luto & lapidibus impetitur, iam latro, iam falſus Propheta, ac deceptor hominum proclamatur. Ex altera parte eleua mentem, & conſidera in Chriſto illam adorandam Maieſtatem, cui ſeruiunt Angeli, quæ rebus omnibus dominatur; illam potentiam, cui nemo reſiſtere poteſt; & hæc obſtupeſcens inclama: Pro me, pro me, viliſſimo vermiculo, talia DEVS patitur, pro me conculcatur, pro me DEVS ligatus, irriſus, &c. Et hoc ſæpius repete, donec cor tuum accendatur; tunc enim prorumpes in affectum compaſſionis erga Chriſtum, talia patientem, & in affectum doloris de tuis peccatis, quæ fuerunt cauſa Chriſto harum

afflictionum. Deinde amore Christi facies propositum vitandi hoc vel illud peccatum, item vincendi hunc vel illum respectum humanum, & repugnantiam in obsequio Diuino.

2. Considera Christum, qui est Sapientia DEI infinita, ab Herode eiusq; aulicis contemptum & pro stulto habitum, irrisum, atque veste alba indutum, vt ab omnibus pro fatuo haberetur, & ita per plateas reductum ad Pilatum. O quæ tunc probra, quas irrisiones audiuit cum summa patientia, ab illa fæce hominum, Innocentissimus Saluator! & tu ab omnibus vis honorari, laudari, adorari, cum id nec ob sapientiam, nec ob patientiam merearis. Confundere de hac tua ambitione, disce à Christo, contemptus, irrisiones, ac probra, eius amore pati, hæc enim sunt insignia seruorum Christi, quibus, ipse indutus fuit apud Herodem. Pete etiam à Christo vestem albam puritatis, quam ipse nobis hac irrisoria veste comparauit.

Christus redit ad Pilatum.

I.

EXpende Christi ignominiosam cum latrone Barabba comparationem, atq; Barabbæ præ Christo electionem: quod ô quantum dolorem Christo attulit! cùm vidit se adeò contemptum ab illo populo, quem tot beneficiis cumulauit. Sed tu quoque an non præfers Barabbam Christo? Quando magis adhæres suggestioni Dæmonis,

monis, quam inſpirationi Diuinæ: quando pluris æſtimas mundi voluptatem, diuitias, honores, quàm Chriſti gratiam & vitam æternam: quando Chriſti voluntatem poſtponis tuæ voluntati, rationem ſenſui, ſpiritum carni, æternitatem bonis temporalibus. Deplora ergo iſtam cœcitatem tuam, deprecare Chriſtum, & ex nunc illum eiuſq; gratiam æſtima ſuper omnia, ſupra diuitias, ſupra amicos, ſupra famam, ſupra voluptates, &c.

2. Conſidera vociferationem Iudæorum clamantium: Tolle, tolle, crucifige; hos plauſus retulit ſumma Sapientia, ſumma Sanctitas, ſumma Beneficentia Chriſti, & tu tantoperè ambis laudem humanam, & plauſus, adeò affligeris, cum illis cares, quibus tamen vndiq; indignus es. Confundere & hinc diſce contemnere laudem humanam, & gloriam à ſolo DEO quærere, apud quem ſolum vera eſt laus, & quidem æterna.

Chriſtus Flagellatur.

I.

EXpende Chriſti in conſpectu tot hominum probroſam nuditatem, ante flagellationem. Quanta ibi fuit Chriſti verecundia, de qua dicit ad Patrem in Pſalmo: *Tu ſcis confuſionem & reverentiam meam*! Quantum verò te amauit! qui amore tui veſtibus etiam ſpoliari voluit, vt te veſte gratiæ, & virtutum, ac ſtolà gloriæ indueret. Propter te eò deuenit DEVS, qui cœ-

lum stellis, terram floribus, aues plumis, Angelos gloria vestit, vt amore tui factus sit nudus. Tu iam vide, quid te par sit facere, amore huius Domini. An non expedit, vt te spolies omnibus affectibus inordinatis, omnibus solatiis, omnibus commoditatibus, vt Christum Ducem tuum nudum, miles nudus sequaris.

2. Vide Christum ad columnam atrociter funibus ligari, non reluctantem, non resistentem, sed vltrò manus ligandas offerentem. Admirare hanc Christi obedientiam, eumq; imitari stude, vt propter DEVM non satellitibus sed superioribus tuis promptè obedias, & præsertim vt obedias DEO, dum tuam libertatem vult ligare, & te sibi adstringere nexû amoris.

3. Considera diram Christi flagellationem. Dira fuit ex parte temporis, quia iuxta aliquos durauit vnâ horâ & mediâ. Dira ex parte flagellorum, quæ constabant ex neruis, catenis ferreis, virgis spinosis. Dira ex numero plagarum, quarum numerantur 6666, à planta pedis vsq; ad verticem Christi. Dira ex rabie carnificum, qui partim pecunijs conducti à Iudæis, partim à Dæmone incitati, crudelissimè sæuiebant in Christum, alij alijs succedendo. Deniq; dira fuit ex parte carnis & complexionis Christi delicatissimæ. Vide ergo in carne Christi sulcos, vide sanguinem defluentem in terram, vide totam carnem laceratam, vide ossa transparentia: & te ipsum huius lanienæ reum agnosce. Hæc enim patitur Christus propter tuam

libi-

libidinem, propter tuas carnis delicias. De his igitur dole, Christo compatere, & firmiter propone fugam omnis voluptatis carnalis, & carnis mortificationem. Deniq; in sanguine Christi in hac flagellatione effuso, animam tuam contaminatam laua, dicendo cum Psalmista; Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me, &c.

Christus spinis coronatur.

1.

EXpende amorem Christi erga te. Non satis fuit ipsi tam copiosum pro te sanguinem effudisse in flagellatione: vna adhuc pars corporis, nempe caput, superfuit à vulnere libera: & hanc etiam voluit pro te lacerari spinis. Vide ergo qua rabie milites imponunt Christo coronam spineam, eamq; capiti sacrosancto baculis crudelissime infigunt. Vide spinas, quarum plures numerantur quam mille, vsq; ad cerebrum pertingentes, iuxta S. Bernardum. Vide sacrum cruorem copiosissime primò in faciem, deinde in corpus ex facie defluentem. Tu verò Christiane, ah quam Christo difformis es! qui caput tuum coronas cogitationibus lascivis, superbis, ambitiosis, quæ in has spinas conversæ, Christi caput laniarunt. Itane decet sub spinoso capite membrum esse delicatum? Itane Regis ad exemplum tui componeris? Ah depone aliquando amore Christi istas rosas euanidas ex capite tuo, & impone tibi coronam

 Christi

Christi spineam, quæ in auream in cœlo conuertatur.

2. Christo sic coronato ad ludibrium traditur in manus arundo, loco sceptri. Vide quid Christo mundus offerat, & quid tibi etiam offerre possit. Nil nisi arundineum, nisi bona vacua, inania, fragilia. O quantum hoc dono tibi illudit! Cur ergo potius non amas aureum Christi sceptrum, Regni cœlestis insigne? Cur tibi illudi permittis? Redi aliquando ad mentem, & solida præfer caducis, temporalia æternis.

3. Vide quomodo Christo illudunt milites, vno genu flectunt ante ipsum, & manu caput feriunt ac vulnerant. Regem appellant, sed regem dolorum faciunt. Regem adorant, sed arundine donatum. O quoties & tu ita Christo illudis, cùm eum adoras orando, sed contemnis malè operando, cum ipsum vno genu adoras, altero Diabolum: cum ipsi offers illa arundinea & fragilia proposita, illam arundineam omni spiritu vacuam pietatem. Erubesce hanc impietatem, & statue, Christum solida virtute adorare, hasq; illusiones compensa, dicendo cum Psalte: *Tu es ipse rex meus & DEVS meus, ô Domine ego servus tuus & filius ancillæ tuæ.*

Christus damnatur ad crucem eamque baiulat.

1.

Considera pusillanimitatem Pilati: Is enim agno-

agnouit Innocentiam Christi, dicendo: *Ego nullam in eo causam mortis inuenio*: & tamen propter respectus humanos, propter gratiam conseruandam apud Cæsarem, propter vitanda odia Iudæorum; Christum iniustissimè damnauit ad Crucem. O Respectus humani infelices, an vnum ad hoc impulistis, vt Christum eiusq; imitationem, vt vocationem respueret, vt virtutem desereret, vt damnaret Christi consilia & præcepta? Ego ipse an talis non sum? Nolo deinceps esse ô Domine, da mihi generosum animum omnes respect⁹ humanos contemnendi, tibique magis adhærendi, & virtuti, quàm amicis, quàm mundo, quàm carni, omnibusque alijs, me à te avocantibus.

2. Vide Christum damnatum ad mortem, cruce onustum per vias publicas procedere, atque montem Caluariæ conscendere, vide quàm sæpe iam sanguine exhausto debilitatus, sub pondere crucis labitur, nec vllus adest qui illum in cruce ferenda iuuare velit. A te igitur hoc solatium petit, illis Euangelij verbis: *Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Non vult, vt tantam, tamque grauem crucem feras, quantam ipse tulit, sed tantum vult, vt feras crucem tuam, id est crucem paruam, crucem tuis viribus accommodatam, crucem tuis peccatis debitam. Cur ego renuis? Cur te excusas? Cur humeros cruci Christi non submittis? Resolue te aliquando generosè, & offer Christo ad portandam cum illo crucem,

& disce, non esse aliam ad cœlum viam, nisi hanc, quà Christus iuit, crucem ferens.

Christus Crucifigitur.

1.

Considera, Christo ante Crucifixionem in monte Caluario, cum iam vix spiraret præ debilitate, oblatum esse vinum felle mistum. Quanta ista crudelitas fuit! Quam acerbum Christo tormentum! Quanta porrò Christi erga nos Charitas, qui amore nostri, nullum sensum suum, etiam gustum, voluit esse à dolore immunem. Et tu an Christo vinum felle mistum non propinas? Cum illi offers illas deuotiones tepidas, illa bona opera, tôt imperfectionibus mista, cum in potu temperantiam debitam non obseruas. Dole de istis defectibus, atque hic & nunc offer aliquem actum heroicum, maximæ alicuius tuæ repugnantiæ victorem, quo gustum Christi felle exasperatum recrees.

2. Vide Christum vestibus ad carnem concreto sanguine adhærentibus, non minus ignominiosè, quàm crudeliter nudatum, ac planè excorticatum, prosterni in trabem crucis. Vide cum quanta charitate extendit manus & pedes, vt cruci affigantur. Vide quo furore carnificum, membra sacrosancta extendantur, & clauis perforentur. Vide quomodo se Christus offert in hoc altari pro peccatis tuis, in sacrificium DEO Patri. Hinc verò disce amore Christi, te spoliare commoditatibus in vestitu, in lecto,

cto, & alijs, vt nudus, nudo Christo Crucifixo te adstringas. Disce crucifigere carnem tuam, manus, ne quid mali operentur; pedes, ne per viam iniquitatis ad occasionem peccati ambulent, ac denique totum corpus tuum, vt dicere possis cum Apostolo, *Christi confixus sum cruci.* Itaque ad hoc te Christo Crucifixo prompte offer, dicendo: ô IESV pro me Crucifixe, volo tecum crucifigi, vt tecum viuam in æternum.

3. Vide inauditum spectaculum, pendentem in cruce, medium inter latrones, qui in throno gloriæ est medius inter personas Diuinas, nudum, liuidum, vndique cruentatum. Vide riuos sanguinis è manibus & pedibus, ac toto corpore in terram defluentes. Considera totum corpus, caput, oculos, faciem, manus, latus, & vide an aliqua pars à planta pedis vsque ad verticem vacet dolore. Vide an aliquod solatium habeat à Patre, à Matre, ab amicis. Et hæc considerans, compatere ei toto cordis affectu, osculare omnia & singula vulnera ipsius, suppone cor tuum immundum & sterile, sanguini ex vulneribus mananti. Offer hoc sacrificium cruentum Patri pro peccatis tuis. Pete à Christo, vt tanti cruciatus pro te non sint frustra suscepti.

Christus Moritur.

1.

EXpende quod Christus moribundus, Ioanni propter eius castitatem eximiam, Beatam Virginem pro matre testamento legauit, illis ver-

verbis: *Ecce Mater tua.* Tu quoque accede ad crucem tanquam ad lectulum Patris tui morientis, & valedicendo ipsi cum lacrymis, pete ab eo supremam benedictionem. Pete etiam, vt aliquid tibi testamento relinquat. Et si amator castitatis es, audies ab ipso tibi tradi B. Virginem pro Matre tua, atque de illa ad te dici: *Ecce Mater tua.* Vide ergo, vt affectu Ioannis illam deinceps ames illique seruias.

2. Expende suprema illa verba Christi morientis. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Meritò hoc dixit Christus, non enim habuit diuitias, non honores, ipsum corpus iam per tot vulnera penè amiserat. Solus restabat spiritus, hunc ergo in manus Patris æterni reponit, quia dignus fuit complexu Patris, vtpote spiritus purissimus, sanctissimus, Patri obedientissimus, eiusque amantissimus. Tu verò in illo extremo mortis agone, poterisnè meritò spiritum tuum in manus DEI reddere? Vide qualis sit tuus spiritus, vide cui seruias, an DEO, an mundo, an carni; ab illo enim in fine vitæ præmium sperare debebis, cui tota vita seruies.

2. Christus inclinato capite tradit spiritum. Inclinat caput, in signum obedientiæ, ex qua moriebatur. Inclinat caput, vt tibi suum spiritum inspiret. Inclinat caput, vt tibi det supremum osculum benignissimus Pater filio prodigo. Et sic tandem paulatim deficientibus viribus color vultus mutatur, oculi clauduntur, ac

deni-

denique DEus Homo moritur. Moritur Dominus tuus, Pater tuus, Magiſter tuus, Paſtor tuus &c. &c. Et adhuc lacrymas continens, petris ſciſſis durius cor meum? Eliqueſce tandem aliquando in lacrymas, & defle tua peccata, quæ fuerunt cauſa mortis Filio DEI. Age gratias pro tàm copioſa redemptione tui, & per mortem crudeliſſimam Chriſti, pete felicem mortem tuam, vt in manibus Chriſti, in præſentia DEI Matris moriaris, cum Chriſto in æternum victurus.

**************:*************

CAPVT XVII.

De modis colendi DEI-param Virginem, præſertim in Feſtis Ipſius.

Centum Exercitia Pietatis proponit erga DEI Matrem Paradiſus Hagiophili, *totidemque alia* Diarium Marianum. *Nos aliqua, quæ magis vſui eſſe poſſunt, afferemus.*

Exercitium I.

HAbere in promptu, & frequenter per diem vſurpare aſpirationes iaculatorias ad DEI Matrem, qualis poteſt eſſe hæc S. Franciſci Xauerij: *Mater DEI memento mei, Domina opi-*

opitulare. Vel hæc B. Stanislai: *O MARIA sis mihi propitia.* Vel hæc: *Mater DEI, monstra te esse Matrem.* Hanc aspirationem consuetam Patri Gabrieli, varia in suis angustijs repetere oblito, adstitit B. Virgo, dixitque: *Es tu meï iam oblitus?* Talis etiam hæc est aspiratio: *Mater amabilis amo te.* Et: *viuat MARIA, O MARIA quando te videbo!*

Exercitium II.

SIngulis diebus se deuouere B. Virgini in filium & mancipium, repetendo illam formulam Congregationi consuetam, *Sancta MARIA Mater DEI &c.*

Ita Marinus, frater B. Petri Damiani, supplex coram ara DEI Matris, cingulum suo collo pro fune iniecit, & se non solum loco serui, sed etiam vt mancipium eidem dedicauit, quod vt re ipsa profiteretur, illo ipso loco se ipsum loco mancipij diuerberavit, & loco tributi argenteum numerum ad cornu altaris DEIPARÆ deposuit. Alij deligunt & acceptant B. Virginem pro sua sponsa, exemplo S. Edmundi Archiepiscopi Cantuariensis, qui adhuc Philosophiæ studens, votum Virginitatis emisit, ante imaginem DEI Matris, eiusq; digito, pro arrha suæ fidei, annulum aureum inseruit, cui insculptum erat, *Aue MARIA.* Similiter desponsauit sibi B. Virginem Pater Brunus à sancta Cruce S. I. cui DEIPARA annulum in digitum inseruit.

Exer-

Exercitium III.

HAbere consuetas orationes ad B. Virginem, quas Ipsi singulis diebus ceu vectigal constanter persoluas. Pater Bernardinus Realinus Soc: IESV, recitabat quotidie Rosaria 12. Pater Balthasar Moralez 20. Ioannes de la Febure 30. S. Ludouicus Galliarum Rex, Sanctus Carolus Borromæus, Sanctus Vincentius Ferrariensis, recitabant quotidie maius B. Virginis Officium, compositum à Petro Damiano Cardinali, ante annos 603. Alij cum Alphonso Rodriquez quotidie recitant Officium de Immaculata Conceptione, quod B. Virgini plurimùm placere, multis exemplis comprobatum est. Alij recitant Canticum B. Virginis cum 4. Psalmis, ex quorum literis initialibus componitur sacrosanctum nomen MARIA, vti faciebat Pater Ioannes à Campis S. I. Alij Litanias Lauretanas, quæ habent annexas Indulgentias 200. annorum, & iuvant pro felici morte impetranda.

Exercitium IV.

DEfendere honorem B. Virginis, & cultum ipsius promouere. Ita Angelicus adolescens Ioannes Berchmans Soc: I E S V, votum edidit, defendendi Immaculatam B. Virginis Conceptionem, nisi aliter Ecclesia definiret, quod votum suo sanguine subscripsit. Ita Carolus S. Brigittæ filius, optabat æterna potius supplicia pati, quàm permittere vt culpâ suâ quid-

quidquam gloriæ Marianæ decederet, ob quem affectum meruit in Iudicio Particulari à B. Virgine defendi, & Dæmonum faucibus eripi. Ita Reges ac Principes pro honore DEIPARÆ ingentes fecere sumptus. Iacobus I. Aragoniæ Rex vltra duo millia sacrarum ædium, nomini Eius dedicauit. Pulcheria Imperatrix aram Ipsi ex auro elaboratam consecrauit, gemmis vndique distinctam.

Ioannes I. Lusitaniæ Rex templum propè Vlissiponam extruxit, vbi tantum argenti dono reliquit, quod quater centena nummum aureorum millia excederet.

Exercitium V.

LAudes B. Virginis siue voce, siue scripto celebrare.

Ita Sanctus Casimirus Poloniæ Princeps laudes ipsius cecinit. Ioannes Berchmans voto se obstrinxit, primum quem editurus esset librum, fore Apologiam Immaculatæ Conceptionis. Pater Iosephus Ancheta Soc: IESV apud Barbaros obiens, 2806. disticha de B. Virgine, solà memoriâ pro chartà & calamo vsus, composuit. Alij Alphabetum Elogiorum B. Virginis conficiunt, & sæpius recolunt, vti fecit Pater Aluarus Arias Soc. IESV. Alij de ipsius Excellentijs ex condicto colloquuntur crebrius, quod ipsum præscribit Lex I. Congregationis his verbis: *Sæpius inter se agentes, mutuòse ad eius amorem & cultum, studeant impellere, & ar-*

& ardentem quandam cupiditatem Sanctissimi nominis eius extollendi.

Exercitium VI.

LEgere vel meditari de Excellentijs, Virtutibus, Beneficijs DEIPARÆ, præsertim diebus Sabbathi, & in festis ipsius. Ita Pater Francisc⁹ Suarez nostrorum Theologorum Princeps, singulis festis B. Virginis in meditatione circa eius virtutes, duas horas insumebat. Hoc nimirum est, ex memoria propria & intellectu, facere sacellum B. Virginis, imaginibus Ipsius ornatissimum, vt nullæ aliæ prophanæ locum habeant.

Exercitium VII.

ANte Actiones benedictionem, à DEI Matre petere.

Ita B. Stanislaus Kostka, Romæ in Tyrocinio Societatis degens, manè & vesperè, se versus templum S. Mariæ Maioris obvertebat, & flexo vtroque genu, ab Ea precabatur benedictionem, oblato illi inuicem suo corde.

Ita etiam S. Catharina Suetica, ad initium cuiuslibet actionis præmittebat *Aue MARIA.* Et Pater Gonsalvus Gomez Soc. IESV, priusquam loqueretur, nomine MARIÆ decies prolato, linguam suam consecrabat.

Exercitium VIII.

AMore Beatissimæ Virginis vincere tentationes, & heroica opera exercere. Ita quidam

dam infamis lasciuiæ consuetudine liberatus est, cum se ex consilio Sancti Bernardi, primò per triduum amore SS. Trinitatis, deinde per aliud triduum amore Beatissimæ Virginis à flagitio continuisset.

Ita plurimi amore DEIPARÆ, visum, gustum, linguam, mortificant, vimque sibi faciunt, vt rapiant Regnum DEI.

Exercitium IX.

VIrtutes B. Virginis imitari.

Hoc genus colendi B. Virginem est præstantissimum, illique gratissimum, & præscribitur in prima lege Congregationis, his verbis: *Vitæ morumque integritate, virtutum illius præstantissimarum exempla imitari conentur.* Nam vt ait S. Ambrosius lib. 2. *de Virg. Quicunque sibi MARIÆ optat præmium, imitetur exemplum.*

Præcipua verò cultorum DEIPARÆ cura esse debet, imitari ipsius Angelicam mentis & corporis puritatem, quâ virtute nihil est ipsi gratius, cum eam ipsa fundauerit in mundo, quæ prima Votum Virginitatis emisit. Ita B. Aloysius, ita Alexander Bertius adhuc nouennes, voto se Virginitatis obstrinxerunt.

Exercitium X.

VArias mortificationes assumere in honorem DEI Matris, præsertim diebus Sabbathi, & in peruigilijs festorum Ipsius.

Ita se tanquam servum inutilem flagellis cædebat quotidie Pater Franciscus Suarez Soc:

IESV;

IESV; bis quotidie Pater Hieronymus de Mercado; ter Pater Ioannes Sebastianus; quater Pater Sertorius Caputus; terquaterue Pater Augustinus Espinosa, infligens sibi quot vicibus duo imo & quinque ictuum millia; duodecies intra vnum diem & noctem Pater Gaspar Druzbicki. Alij in honorem eiusdem Pretiosissimæ Parentis arcta instituunt ieiunia, quorum Franciscus Cardinalis Toletus, etiam in in vltima ætate, Quadragesimam Marianam celebrabat ante eius Assumptionem. Alij cilicio se amore illius affligunt, e quorum numero Pater Ioannes Neronus quotidie per annos 40. Alij cum S. Francisco Xauerio in peruigilio eiusdem somno se fraudant. Alij abiecta & humilia opera, in honorem humilitatis Marianæ exercent, vti exercebat Pater Martinus Alberro septuagenarius, cui sabbatho domûs sordes colligenti, B. Virgo blandè faciem mulcens dixit: *Martine, scis sordes domûs colligere: Fili mi, valde mihi hoc placet.*

Exercitium XI.

HAbere in conclaui imaginem B. Virginis, eamque sæpè venerari. Ita Pater Ignatius Plancus S. I. nunquam è cubiculo prodibat, nisi petita benedictione à DEIPARA, coram Eius imagine. Alij oculos in imaginem Eiusdem defigunt, ad imitationem S. Alexij, degentis sub porticu Edeseni templi. Alij Eandem in obuijs ipsius imaginibus salutant, vicissimq; ab Ea sa-

lutari.

lutantur, cum Sancto Bernardo, & cum Patre Ioanne Castillo S. I. qui imaginem B. Virginis osculatus, osculum vicissim accepit ex imagine. Alij imaginem Eiusdem secum propè cor circumferunt cum S. Patre nostro Ignatio.

Exercitium XII.

NOmini Sacro Mariæ reuerentiam exhibere Ita P. Franciscus Binantius ex ordine Minimorum nomen IESV & MARIÆ scriptoriò cultello pectori insculpsit: sed hoc admirandum potius, quàm imitandum: satis est, digito id facere. Alij sæpe hoc nomen pronuntiant, qualis fuit illa Fœmina Iaponica circa annum 1621. quæ ad fidem conuersa, Angelo custode excitante, per diem 140000. vicibus nomen IESV & MARIÆ pronuntiabat, sicut olim, Dæmone eam noctu excitante, pronuntiare nomen solebat Amidæ Iaponum DEI.

Alij nihil negant, quidquid nomine MARIÆ petitur. Alij caput inclinant, aut genu flectunt, audito hoc nomine SacroSancto. Alij initium scribendi ab hoc nomine sumunt, vt ei laborem suum inscribant. Omissis breuitatis studio alijs Exercitijs Pietatis erga B. Virginem, subijciemus pios affectus erga Eandem.

Affectus erga B. Virginem.

Qui disponi possunt per Decades Coronæ.

1. *ADoratio.* Eminentissima DEI Mater & Virgo,

go, adoro Te cultu Hyperduliæ, cum tota Ecclesia, tanquam Matrem DEI & Dominam mundi.

2. *Laus.* Gloriosissima DEI Mater, Te laudo, & glorifico, & post DEVM ab omnibus laudari & glorificari desidero.

3. *Gratulatio.* Gaudeo cum tota Ecclesia, & gratulor Tibi de omnibus donis naturæ, gratiæ & gloriæ, super omnes Sanctos Tibi à DEO collatis.

4. *Gratiarum actio.* Beneficentissima Mater DEI, ago Tibi gratias, pro omnibus obsequijs & affectibus Christo Domino exhibitis, & pro omnibus beneficijs toti Ecclesiæ impetratis.

5. *Amor.* Pretiosissima Mater DEI, Te summè post DEVM æstimo, & amo propter Dignitatem Tuam.

6. *Oblatio sui.* Dignissima DEI Mater, agnosco te & recipio in Matrem, & Dominam meam, meque Tibi in filium & mancipium perpetuum offero.

7. *Fiducia.* Potentissima DEI Mater, in Tua intercessione spem meam maximam post Christum, de bonis temporalibus & æternis repono.

8. *Petitio.* Benignissima Mater DEI, monstra Te mihi esse Matrem in vita & in morte mea.

Vltra hos affectus in festis B. Virginis, alij eliciendi sunt accomodati festo, quod celebratur. Itaque

In Fe-

In Festo Conceptionis & Natiuitatis B. Virginis.

1. SAlutabis cum Ss. Angelis Reginam mundi, prodeuntem in hunc mundum.

2. Profiteberis, te firmiter assentiri, quod B. Virgo sit concepta sine labe, quàm diu Ecclesia contrarium non definiuerit, quod vtiq; non speratur futurum.

3. Gratulaberis ipsi de Immaculata Conceptione, de confirmatione in gratia, de vsu perfecto rationis, alijsque gratijs, quibus in instanti suæ Conceptionis fuit supra omnes Sanctos à DEO cumulata.

4. Pro ijsdem fauoribus erga B. Virginem gratias ages SS. Trinitati, simul gratulando ipsi de illo gustu & complacentia, quam habuit de hoc singulari opere suo, in eo instanti, quo illud creauit.

5. Adorabis in B. Virgine concepta & nata, relucentem DEI Puritatem, Sanctitatem, Sapientiam, Misericordiam, &c.

6. Offeres tanquam subditus huic Reginæ supremæ in mundum ingredienti, aliquod vectigal, V. G. aliquod firmum propositum.

7. Per Immaculatam eiusdem Conceptionem & confirmationem in gratia *petes* puritatem, vtque DEVM grauiter nunquam offendas.

Tessera huius diei erit: *Viuat Maria immaculatè concepta.*

In An-

In Annuntiatione.

1. ADorabis B. Virginem tanquam viuum tunc tabernaculum Filij DEI incarnati.

2. Gratulaberis ei de ſumma inter creaturas dignitate Maternitatis Filij DEI.

3. Cum tota Eccleſia ages gratias, quod Filium DEI in vterum ſuum ſuſceperit, quod eidem ſanguinem ſuum puriſſimum ad formandum corpus præbuerit, & pro omnibus obſequijs & affectibus, quibus Verbum incarnatum in ſuo vtero proſecuta eſt nouem menſium ſpatio.

4. In honorem iſtorum 9. menſium, recitabis novies ſalutationem Angelicam, aſſumendo alium Chorum Angelorum, ad ſingulas ſalutationes, & ab eis petendo, vt pro te laudent Matrem DEI, ac in ea Verbum incarnatum. Ita faciebat Angelicæ virtutis adoleſcens Ioannes Berchmans Soc. IESV.

5. *Petes* per Maternitatem ipſius, vt tibi monſtret Se eſſe Matrem.

Deinde per diem frequenter dices; *Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium. Beata Mater munere, cuius ſupernus artifex, mundum pugillo continens, ventris ſub arca clauſus eſt.*

In Purificatione.

1. GRatias ages Beatæ Virgini, & ſimul gratulaberis, quod prima Filium DEI in manibus ſuis SS. Trinitati, in ſacrificium hodie

obtulerit, eique tantum gustum & complacentiam dederit.

2. Egenti B. Virgini offeres pro turture gemitus tuos pro peccatis, pro columba, candorem & simplicitatem.

3. *Petes* à B. Virgine, vt sicut hodie præsentat DEO Filium suum, ita te etiam præsentare dignetur SS. Trinitati. Deinde sicut deposuit Dominum IESVM in vlnis Simeonis, ita etiam eundem in corde tuo reponat & custodiat.

In Planctu B. Virginis.

1. COmpatieris omnibus doloribus & afflictionibus B. Virginis.

2. Ages gratias pro affectibus & obsequijs, quæ Christo patienti & mortuo exhibuit.

3. Ad solatium ipsi dandum, diuides ipsius dolorem tecum, subeundo voluntarie afflictiones & dolores siue animi siue corporis.

4. *Petes* ab ipsa per dolores, quos in passione Filij sui sustinuit, vt tibi morienti assistat, sicut adstitit morienti in Cruce Filio suo.

In Assumptione.

1. SVpplex valedices discedenti in Cœlum B. Virgini, & petes ab illa cum Apostolis maternam benedictionem.

2. Gratias ages ipsi, quod viuendo in hoc mundo, tot exempla virtutum Ecclesiæ reliquerit.

3. Gratulaberis illi, quod illius animam è corpore exeuntem Christus complexus fuerit, super

ſuper Angelos exaltarit, & coronauerit. Gratulaberis item ipſi de gloria corporis, & de laureolis.

4. Recognoſces illam ſic coronatam, Reginam cœli & terræ, & cum ſingulis ſeorſim ſanctorum ordinibus illam adorabis.

5. *Petes* vt in cœlo ſit tua apud DEVM aduocata in omnibus tuis indigentijs.

Teſſera huius diei, *Viuat Regina cælorum. Viuat Domina Angelorum.*

**************:**************

CAPVT XVIII.

Praxis colendi Sanctos Patronos.

PRAXIS PRIMA.

Diem S. Patroni deuotè tranſigere.

IMprimis præmiſsà lectione, vel meditatione vitæ Sancti Patroni, eliges aliquam virtutem ex vita ipſius, Sancto familiarem, in cuius virtutis actibus, aliquoties te per diem exerceb.is, in honorem eiuſdem Sancti. Vnde mane aſsignabis tibi occaſionem, numerum, & modum exercendi tales actus, & in examine a te exiges huius rationem. Deinde quamcunq; actionem honeſtam facies, non aliter facies, niſi affectu Sancti Patroni, ſimilem actionem exercentis, &

in vnione similium actionum ipsius. Itaq; die S. Ignatij, orabis affectu Sancti Ignatij, communicabis in vnione communionum S. Ignatij, actum amoris DEI elicies, affectu Sancti Ignatij, & sic de similibus.

Postremò sæpius de die inuocabis S. Patronum per breues ad illum aspirationes, V. G. *SS. Patroni assumite me ad vos. Estote custodes cordis mei, nunc & in hora mortis meæ. Benedicti vos à Domino, qui fecit cælum & terram.*

PRAXIS SECVNDA.

Varios affectus elicere erga Sanctum Patronum per modum Coronæ.

1. SAncte Casimire, adoro te cultu duliæ, tanquam amicum & Filium DEI adoptivum.

2. Gaudeo de omnibus donis naturæ, gratiæ & gloriæ, quibus à DEO ornatus es, & præsertim de Angelica tua puritate.

3. Confundor & erubesco, quod vitiis meis sim adeò tibi dissimilis, & præsertim tuæ puritati.

4. Ago tibi gratias pro omnibus affectibus & obsequijs erga DEVM, & Mariam, & pro tutela, quam hactenus mihi indigno præstitisti.

5. Recipio te in Patrouum & Aduocatum meum, ac me tibi trado in servum & clientem, in vita & in morte.

6. Per amorem IESV, & MARIÆ, te rogo, sis protector meus in vita & in morte, & impetra mihi à DEO tuam puritatem. PRA-

PRAXIS TERTIA.

Affectus ad DEVM circa Sanctos Patronos.

1. ADorabo Diuinas perfectiones specialiter relucentes in Sanctis. V.G. puritatem in Angelis, sapientiam in Doctoribus, sanctitatem in Confessoribus, &c.

2. Gaudebo & gratulabor DEO de omni honore & amore, quem habet, & habebit v. g. à B. Aloysio.

3. Desiderabo DEVM amare & laudare corde B. Aloysij, in hac vita, morte, & in æternitate.

4. Gratias agam DEO pro donis naturæ, gratiæ, & gloriæ, B. Aloysio concessis.

5. Offeram DEO omnia B. Aloysij obsequia, merita, & affectus, siue huius vitæ, siue æternitatis.

6. Petam à DEO per Intercessionem B. Aloysij, virtutem, in qua ipse excelluit, v. g. castitatem.

**************:**************

CAPVT XIX.

Modus Sanctè moriendi.

HÆc est Conclusio, quæ ex hactenus præmissis sequi debet, Mors sancta. Speciali-

ter autem vt concludas vitam in bona forma, hæc dum viuis præmittenda sunt. 1. Nullum graue peccatum, etiam ad breue tempus, patiare in anima, sed quam primum illud per confessionem dele. Nec vnquam te ad somnum confessionem dele. Nec vnquam te ad somnum conferas, non præmisso actu contritionis. Quis enim scit, an hac nocte non repetent à te animam tuam? Hæc verò, si in statu peccati mortalis è corpore discesserit, vbi erit?

2. Assuesce viuendo resistere tentationibus, & sæpe elicere actus, fidei, spei, & charitatis, vt sic habitu contracto, facilius eos elicias in illa debilitate corporis, ac doloribus morbi lethalis.

3. Nulli rei in hoc mundo nimis afficiare, sed potius ad Patriam cœlestem sæpius aspira. sic enim suauiter & sine dolore animi morieris, quia vt ait Sanctus Gregorius: *Cum dolore amittitur, quidquid cum amore possidetur.* De anima sic in affectibus suis mortificata dicit Sapiens, quod *ridebit in die nouissimo*. Talis fuit Maria Oegniacensis, quæ ingeminando Alleluia Alleluia, exspirauit. Tales illi Angelici Adolescentes e Soc. nostra, B. Aloysius Conzaga, & Ioannes Berchmans, qui nuntio mortis accepto, lætissimi decantarunt: *Te* DEVM *laudamus. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

4. Cùm præuisa iacula minus feriant, frequenter mortis recordare, eiusque successum

DEO

DEO sæpe commenda. Hoc autem fieri potest imprimis in Sacro, dum per sacræ Hostiæ fractionem repræsentatur mors Christi Domini, vbi petes ab ipso, ne te in tua morte permittat à se in æternum separari. Deinde in meridie, cum signum datur ad orandum: tunc enim, in vnione mortis Christi, quæ eo tempore contigit, in manus Domini spiritum tuum in suo egressu è corpore, commendabis. Postremò dum te ad lectum conferes, recordaberis sepulchi, in quo requies tua erit.

5. Beatissimæ Virgini, ac SS. Patronis supplica sæpius, vt tibi in illo supremo conflictu, suppetias ferant. Sunt qui singulis diebus invocant SS. Patronos, singulis mensibus in Congregatione dari solitos, quorum nomina ad hunc finem habent conscripta ad instar Litaniarum. Alij pro singulis diei horis, cum Alphonso Rodriquez, distribuunt Patronos; quamlibet horam, ex quibus aliqua erit suprema, hoc sacro præsidio, tempestiuè muniendo. Et hæc præparatio ad mortem *remota*.

Obseruanda, morte iam instante.

1. INtellecto mortis periculo, quàm primum pete sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac etiam, si tantum est periculum, Extremæ vnctionis, nec non applicationem Indulgentiarum. Cum maiori enim fructu sumuntur Sacramenta ab homine, rationis vsu, & integris viribus adhuc pollente. Iuvat verò, cùm Sa-

cerdote pactum facere, vt te sensibus destitutum, in supremo articulo vitæ absoluat.

2. Si cui facienda est restitutio famæ, honoris, pecuniæ, fiat adhuc te viuente, si fieri potest: alioquin vt quam primum post mortem tuam fiat, efficaciter prouide.

3. Condona ex amore Christi mansuetissimi omnes iniurias & offensas, tuis inimicis, vt DEVS tibi peccata condonet.

4. Pete veniam publicè pro defectibus, à tuis superioribus, imò etiam æqualibus.

5. Si dispositio bonorum facienda est, fiat, vt monet S. Augustinus, dum sapiens es, dum tuus es. Deinde stat in statu gratiæ, vt sic tuæ elemosynæ sint meritoriæ vitæ æternæ; vel si facta est in statu peccati mortalis, post confessionem ratificetur. Fiat verò ad DEI gloriam maiorem, & secundum ipsius voluntatem, ita vt etiam Christus in suis pauperibus instituatur heres à te, qui tibi suam transcripsit hereditatem in cœlo.

6. Si Superior es, monitum aliquod pium tuis subditis relinque, quod tunc cordi audientium altiùs infigi solet. Ita S. Ludouicus Rex Galliæ, moribundus filio suo dicebat, apud Surium: Fili mi, in eam rem ante omnia incumbe, ne vnquam peccatum mortiferum committas. S. Antonius Magnus apud eundem Surium, hæc verba suprema ad fratres dixit: Ad IESVM suspirare, & hoc sanctissimum nomen vestris figite mentibus.

7. Cu-

7. Curet sibi infirmus, prælegi passionem Domini nostri, item Historiam mortis B. Virginis, & aliquorum sanctorum, præsertim B. Alyosij & Ioannis Berchmans, vt exemplo pretiosæ in conspectu domini mortis, Sanctorum, discat mori. Plurimorum autem ad hoc conducet Liber, cui titulus *Pretiosæ morientium occupationes*, à Patre Ioanne Nadasi Soc. IESV editus.

8. Suadet ibidem hic author cap. 8. vt moribundus faciat has intentiones, pro sua morte. *Volo mori, quia amo DEVM, & ideò volo illi ita statuenti obedire. Volo mori, vt nunquam DEVM deinceps offendam. Volo mori, vt DEVM coram videam & perfectius amem, cum B. Virgine, & SS. Patronis, ad quos aspiro. Volo mori, vt imiter* IESVM *& MARIAM morientes. Volo mori, vt mortem stipendium peccati accipiam, pœnasque dem pro peccatis meis. Volo mori, vt immoler DEO, cui me tot modis debeo. Volo mori, vt viuā in Cælo in æternum.*

9. Armetur æger in hoc supremo conflictu instrumentis pietatis, imagine crucifixi, sacris Reliquijs, & imaginibus Sanctorum, quas identidem adoret & osculetur. Item cereo benedicto, quem manibus tenens, agat DEO gratias, quod se vocauerit in admirabile lumen suum, dicatque: *Tu illuminas lucernam meam, Domine illumina tenebras meas. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum.* Dum aquà lustrali aspergitur, dicatur; *Exurgat DEVS, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt*

eum à facie eius. Ita Ioannes Berchmans moribundus, Crucifixum, Coronam, & regulas, manu tenens dicebat; *Hæc sunt arma mea,* & his armatus obijt Romæ 13. Augusti, 1621. ætatis suæ 22. cum magna opinione sanctitatis.

10. Faciat moribundus has vel similes protestationes. *Protestor, quod morior verus Catholicus, in Fide, Spe, & Charitate in DEVM. Protestor. quod volo mori mancipium IESV, & MARIÆ. Protestor quod ex nunc & pro reliquo vitæ tempore nolo consentire vlli tentationi Dæmonis. Confirmo fidem datam DEO in Baptismo, & abrenuncio mundo, carni, Sathanæ, meque tibi coniungo Christe in tempore & æternitate. Protestor quod libenter accepto omnem diuinam dispositionem, tam circa animam meam, quam circa corpus, post mortem.*

11. Breuiter eliciat actus virtutum, præsertim Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Desiderij videndi DEVM, iuxta dicta in *Corde Sancto,* vltra quæ, hæc iuvabunt.

Credo Domine, spero Domine, Amo Domine.

Credo & spero videre bona Domini in terra viuentium.

DEVS meus misericordia mea.

In medio vmbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Cupio dissolui & esse cum Christo.

Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.

Educ de custodia animam meam, ad confitendum tibi, me expectant iusti, donec retribuas mihi. Ita dicebat moribundus Sanctus Franciscus.

Quan-

Quando veniam & apparebo ante faciem Domini?

Huc spectat, quæ sequuntur ex soliloquijs S. Augustini. *Ostende mihi consolator meus. Videam te, lumen oculorum meorum. Veni gaudium spiritus mei. Videam te lætitia cordis mei. Amplectar te, bonum, sine quo nihil bonum. Fruar te optimo, sine quo nihil optimum.* c. 1.

O vita cui omnia viuunt, vita, quæ es mea vita. per quam viuo, sine qua morior, vita vitalis, dulcis & amabilis, vbi quæso es? vbi te inueniam, vt in me deficiam & in te subsistam.

Eia Domine, moriar, vt te videã, videã vt hic moriar.

Mori desidero, vt videam Christum, viuere renuo, vt viuam cum Christo. ibidem.

O Lux sine qua tenebræ, illuminare huic cæco, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedet, & dirige pedes eius in viam pacis, per quam ingrediar in domum. cap. 4

O clauis Dauid, aperi mihi ostium luminis tui, vt ingrediar & videam te. cap. 7.

Adiuua Domine creaturam tuam. Non pereat in malitia, quod operata est bonitas tua. cap. 11.

Scio Domine, & confiteor me indignum, vt intrem sub tectum tuum, sed fac propter honorem tuum, & ne confundas in te sperantem seruum tuum. cap. 23.

O Fons vitæ, vena aquarum viuentium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deserta, inuia, & inaquosa. cap. 30.

O Dies præclara & pulchra nesciens vesperum, non habens occasum, in qua audiam: Intra in gau-

dium Domini tui, vbi erit omne bonum, & non erit aliquod malum, vbi erit, quidquid voles, & non erit, quidquid noles.

Veni Domine & noli tardare, veni Domine IESV, & visita me in pace. Veni & educ vinctum è carcere, &c. Vide plura cap. 35. & 36.

Ultimo colloquatur itidem moribundus, cum IESV & MARIA, per breues orationes iaculatorias:

JESV MARIA amores mei, patiar, moriar amore vestri. O IESV, esto mihi IESVS & Salvator. IESV agonisans, morti tuæ mortem meam vnio. IESV pro me mortue, mors tua sit vita mea. O bone IESV exaudi me, intra vulnera tua absconde me, & ne permittas me separari à te. Domine IESV suscipe spiritum meum. Tu es Christus Filius DEI vivi, Dominus meus & DEVS meus.

MARIA MATER gratiæ, MATER misericordiæ.

Monstra te esse MATREM.

Eia Advocata nostra illos tuos misericordes oculos, ad nos converte, & IESVM benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.

MATER DEI MEMENTO MEI.
O MARIA SIS MIHI PROPITIA.

CAPVT

*************.**************

CAPVT XX.

Exemplis quorundam Illuſtrium ſodalium, traditur ars, ſanctè viuendi & moriendi.

Quia ſemper Exemplo melius docetur, iuvabit poſtremò Sodalibus Marianis in hac Palaſtra nobiles Athletas proponere, qui in variis B. Virginis Congregationibus pietate floruerunt. Horum Princeps eſt.

B. ALOYSIUS GONZAGA.

IS, Patre Imperij Principe & Caſtilionis Marchione natus, ſeptimum ætatis annum, ſuæ ad DEVM converſionis tempus appellabat, ea conſtantia tunc iam feliciter inchoatæ, vt deinceps, (prout quatuor fide digni eius Confeſſarij affirmarunt,) nunquam ſe à DEO per mortale peccatum auerterit. Nouennis adhuc, Florentiæ ante imaginem Virginis ab Angelo ſalutatæ, perpetuò Virginitatis voto ſe obſtrinxit, tam perfectè ſemper obſeruato, vt illud teſtari potuerit Sacra Romana Rota: *Aloyſius nunquam ſtimulum carnis paſſus eſt, nec cogitationem vllam impuram in mente habuit.*

Tem-

Temperantia planè fuit admirabilis. Nam præter alia extraordinaria ieiunia, singulis hebdomadis, feria sexta & sabbatho, ac etiam sæpè feria quarta, solo pane & aqua contentus viuebat. Ter imprimis per hebdomadam: ac deinde in vltimis in sæculo annis, die quolibet semel: postremo ter de die, seu flagellis, seu loris, seu ferrea catenula, se ipsum cædendo cruentabat. Sæpè asserem sibi dormienti supponebat. Sæpè loco cilicij acutis calcaribus tenerum corpus stringebat.

De studio orandi quid dicam? Mane quolibet vltra prolixas vocales orationes, rerum sacrarum meditationi, vnam horam dabat; vesperi autem quandoque duas. Nec his contentus, nocte media alijs quiescentibus, è lecto surgebat, & solo indusio etiam inter hyemis rigores tectus, ac præ frigore tremens, per aliquot horas, genibus flexis meditationi vacabat: vt quandoque præ corporis debilitate, in terram prolapsus, iacensq; orationem finiret. Ab hac porrò consuetudine orandi, non destitit Aloysius, etiam in Aula Regis Hispaniarum biennio degens: vbi in abditos recessus fugiendo, quinque horas Cœlestium rerum contemplationi impendebat. Modum ac frequentiam sacræ communionis à S. Carolo Borromæo edoctus, eâ teneritudine animi, diebus festis vsurpabat, vt in in lacrymas vberrimas sæpè solueretur, à quibus etiam, diebus profestis, sacrum audiens, post eleuatam Sacram Hostiam, sibi temperare

non

non poterat. Hâc verò pietate insignem illum promeruit DEI MATRIS fauorem, cum de statu vitæ deliberans, die Assumptionis Deiparæ, sacra peracta ad hanc intentionem Communione, illam Madriti, à pretiosissima Parente audivit vocem: *Ingredere Societatem filij mei.* Quam vt ingrederetur, incredibile dictu est, quantas Patris iras, quot obstacula toto triennio fortissimè superauit. Qualem verò in Societate vitam egerit, quam pretiosa morte breui coronatam, non est propositi mei referre, qui Aloysium nondum Religiosum, sed adolescentem adhuc in tenera ætate, in aulis Regum, inter Principum delicias, Sodalibus propono. Ex *Virgilio Cepario*.

B. STANISLAVS KOSTKA, Polonus.

PLanè materno adhuc ex vtero in Societatem IESV vocatus esse videtur, dum splendentibus Nominis IESV radijs in vtero circumfusus, antequam in lucem prodisset, Matri suæ apparuit, teste *Guagnino.* Illibatum Virginitatis florem & innocentiam, nullâ graui labe contaminatam, secum ad Religionem, ac inde breui ad cœlum tulit, prout eiusdem in spitu Magistri, Ruizius & Iulius Fatius affirmarunt. Hanc eius innocentiam honorauit cœlum, cùm bis Angelos misit, qui Stanislaum, Pane Angelorum reficerent. Honorarunt etiam elementa, cum ignis

ignis aliquando ceruicalia Stanislai decumbentis capiti subiecta aggressus, caput tamen non attigit. Solus exhorruit infernus, atque ille Erebi canis, qui ægrotantem Stanislaum ter frustra insilijt, ter ab eodem crucis signo fugatus.

Angelica eius puritas, nec verbum audire potuit honestati aduersum. Itaque ad paternam mensam, si quid liberius ab aliquo hospitum proponeretur, illicò versis in cœlum oculis Stanislaus, veluti exanimis, sub mensam delabi, à fratre suo Paulo non semel obseruatus est. Modestia, & omnium affectuum moderatio singularis in eo fuit, vt nihil in eo puerile, signum iracundiæ nullum compertum sit.

Amor Orationis quantus! quam non interdiu tantùm in abditis ædium recessibus, sed noctu etiam in alto rerum omnium silentio, positis humi genibus, aut prono stratus corpore, prolixam faciebat. Mensæ quin assidens, sæpè cibi penè immemor, rerum Diuinarum gustu mentem pascebat. Quotidiè binis, ternisuè sacris; festo autem die, pluribus intererat, & quidem nixus genibus, corpore immotus, oculis decore demissis, manibus ante pectus compositis, non rarò etiam à sensibus abstractus. Diuinissimum Sacramentum quotidiè ante initium, & post finem scholarum inuisebat, idemq; sumebat Viennæ studens, quâvis hebdomadâ, pridiè cœnâ abstinendo.

In DEI Matrem quanta fuit pietas Stanislai! eam Matrem suam appellabat: ab ea benedictionem

orem conuersus ad templum, quidquid agendum erat, postulabat: Eius encomia inter scholasticas exercitationes sibi tractanda assumebat, omnesque scriptionis suæ paginas illa oratione implebat: *O MARIA sis mihi propitia*; & nouos semper & magnificos inueniebat titulos; eius Rosarium aut pios libellos, extra tempus studendi, perpetuo versabat manibus, demum in longo illo ac molesto itinere, sicubi imaginem Deiparæ conspexisset, nusquam reliquit insalutatam. Itaque ipso die Virginis Assumptæ, cum paucis ante diebus, per suum Patronum Laurentium, literas ad eam scripsisset. quibus postulabat. vt sibi spectatorem triumphi ipsius in cælo adesse liceret, mille osculis imagini Deiparæ impressis, Rosarium manu tenens, in honorem, vt dicebat, suæ Matris, Eandemq; tunc (vt aliqui putârunt) præsentem intuitus, ad eius complexum feliciter abijt. Romæ in domo probationis Soc. IESU, 1568. ætatis suæ 18. decem mensibus in Societate transactis, quam tam ardenter expetijt, ac etiam per tot viarum spatia Viennâ vsq; Dilingam, hinc deinde Romam quæsiuit; à qua denique paternis literis, minarum probrorumque plenis, avocari non potuit. Vt proinde immane mendacium sit, à quibusdam malevolis in hoc Regno contumeliosè confictum, B. Stanislaum extra Societatem dimissum, in aliquo Xenodochio Romæ obijsse, cum tamen de hoc Romæ, nulla suspicio fuerit, vt ipse ibi exploratum habui: & nuper

Cle-

Clemens X. in Bulla, qua huic Beato Sacrum concessit, Pontificio Oraculo testetur, eum esse Societatis IESU, ac proinde è Societate non dimissum.

ALEXANDER BERTIVS Italus, Sodalis Collegij Florentini.

ADhuc quinquennis Christi patientis cruciatus, sæpè meditari, ac de illis suaues habere sermones consueuerat. A septimo ætatis suæ anno, cæpit gestare cilicium quoddam ex funiculis elaboratum, quod quia asperum ei minus videbatur, petijt à Confessario, & obtinuit catenulam, qua infantiles adhuc stringebat artus. Vix nouennis, non in alienam iurauit perniciem, sed maior Annibale Alexander, in suæ vtilitatem animæ, maturum ineundæ Religionis fecit propositum, eiusdemque, ab ijs quibus intererat dilatam executionem, multis lacrymis deleuit. Decimum agebat annum, quo miris rerum Diuinarum delicijs affluere cæpit. Aliquando enim inter duos Angelos consistere sibi videbatur, quibus à DEI para, suæ integritatis seruandæ, cura demandabatur. Quandoq; ipsa pretiosissima Parens, eidem studenti, assistere visa est, librorumq; pagellas euoluere; semel etiam ægrotanti adstare prope lectum, & flosculos ad temperandos febris ardores admovere.

vere. Die eiusdem Virginis purificatæ, cum primum SacroSanctæ Eucharistiæ pabulo reficeretur, videbatur sibi habere cor in duas partes diuisum, ac IESVM in medio ipsius collocatum, quem exinde ea deuotione in Sacramento latentem prosecutus est, vt à maiori altari, pœnè auelli nunquam potuerit, vulgo Ephebus SS. Sacramenti appellatus.

Nihil illi gratius vnquàm fuit, quàm de MARIA loqui, audire, cogitare. Domum ex Oratorio redux, congregatis in aula famulis ac domesticis, primò ipsis libellum aliquem pium prælegebat; mox de rebus Diuinis differebat, cum eo affectu, vt audientibus lacrymas moueret, eosdemque ibidem, ad corporis flagellationem suo exemplo duceret. Morbo supremo correptus, frequenter de Christi passione aut legere, aut differentes audire gestiebat: & si quid amaræ medicinæ sumendum fuit, in illas prorumpebat voces, *O Bone IESV, quàm acerbior fuit Calix tuus!* Interim cœlestibus non carebat delicijs animus. Die quodam, cum ex pia lectione, quasi in somnium se vultu hilari composuisset, à matre quæsitus, quid ageret; Delicias, inquit, animæ meæ IESVM & MARIAM, inter innumera Beatorum agmina loco celsissimo intuitus sum. Die altero repentè ex contemplatione quadam experrectus: An non, inquit, coram intuemini Mariam DEI MATREM Dominam meam, meumque custodem Angelum, & Mariam Magdalenam de Pazzis

erat

(erat huic Beatæ, adhuc viuens, gratus admodum Alexander, & ab eadem Angelus terrestris appellatus) tum ad hos conuersus hospites, multa cum illis loqui visus est. Cum verò in illo temporis puncto, Dæmon se illi formâ horrendâ spectandum obiecisset: Quid quæris, inquid, Bestia? facesse, testimonium conscientiæ meæ, DEO fauente, bonum est. Demùm præ nimia deliciarum cœlestium affluentia, quasi moræ impatiens, fractis iam viribus, è lecto se proripiendo, atq; ingeminando: In cœlum, in cœlum: ac fixis in cœlum oculis, sæpè IESV ac MARIÆ nomina Sacro Sancta inuocans, ex hac vitâ decessit, Florentiæ, virtute florentissimus, in Aprili, Anno Christi 1608. ætatis suæ 15. Hæc tum ex libro Italico Bononiæ impresso, cui titulus, *Corona duona duodecim florum*, tum ex P. Lechnero lib. 1. cap. 10.

ANTONIUS VBALDINI, COMES

Montis vicini Italus,

Sodalis Seminarij Romani.

PLanè adhuc puer, præter coronæ ac Psalmorum pœnitentialium aliarumque orationum vocalium pensum quotidianum, diebus profestis meditationem per semihoræ spatium, festis verò diebus, per horam integram protrahebat.

hebat, eô sensu pietatis, vt totus accendi, ac in lacrymas solui videretur, præsertim cum Christi Saluatoris cruciatus recoleret. Quoties sacræ mensæ accumbebat, (id quod post annum ætatis duodecimum, octauo quoq; die facere solebat) lacrymas non poterat continere, vltrò ex oculis iam asuetis erumpentes. Ad eam verò ita se præparabat, vt vnam horam meditationi, alijs adhuc dormientibus, aliam in Oratorio pijs impenderet exercitijs, nec nisi post longam gratiarum actionem, inde recederet, & quidem ad sacram lectionem in suo conclaui continuandam. Præcipuè suum affectum DEIparæ colendæ consecrauerat. Ergo ad eius amorem Sodales inflammare, laudes ipsius celebrare, vigilias omnes festorum, ac dies Sabbathi, in pane & aqua, ab anno ætatis suæ octauo ieiunare, diebus singulis eiusdem Virginis officium recitate, familiare Antonino fuit. Post DEIparam singulari, per orationes quotidianas, cultu venerabatur Sanctum Ignatium, Sanctum Franciscum Xauerium, & Beatum Aloysium, quorum festo imminente die, in nudo assere & quidam duabus duntaxat per noctem horis, somnum capiebat, reliquum noctis partim flagellationi, partim lectioni sacræ, partim Orationi, diem vero pœnè integrum in Sacello D. Tutellaris, orationi impendens. Corporis mortificatio plane admirabilis in eo fuit. Adhuc in domo paterna puer, diebus communionis, ac DEIparæ peruigilijs, nihil prætor pa-

nem

nem ſumebat: In Seminario autem manens, ſingulis ferijs ſextis vix aliquid obſonij. Ter in hebdomada ſupra nudos aſſeres dormiebat, alias ligno capiti, aut libro aliquo prægrandi ſuppoſito. Præter cilicia frequentia, & ferreas puncturas, alternis diebus corpus ſuum catenula; vel intertextis inter funiculos ferri fragmentis dirè lacerabat, quæ laniena plerumque vno horæ quadrante, quandoq; media horâ, aliquando etiam hora integrâ durabat. In morbo ſupremo decumbens, nulla penitùs ſociorum colloquia, quæ de rebus pijs non eſſent, admittere voluit. Vbi verò nuntium de morte imminente accepiſſet, nihil ſibi dolori eſſe dixit, niſi quod ſine ſanguinis effuſione, extra Iaponicos carceres & flammas moreretur. Tùm à ſuo Confeſſario inſtanter petijt, vt ſaltem ſibi liceret nouitium Societatis IESV mori. Ergo ita annuente Præpoſito eiuſdem Societatis Generali Mutio Vitelleſcho, veſte Religioſa indutus, & votis Societatis ſimplicibus, obſtrictus DEO, veſtem illam oſculatus dicebat: Benedicimus DEVM Cœli, & terræ, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. Poſtremò inter continua IESV Crucifixi oſcula & amplexus, inter crebram MATRIS gratiæ invocationem, ſanctè obijt, 11. Julij, Anno 1629. ætatis ſuæ decimo ſeptimo. Ex libello cui titulus *Corona duodecim Florum*.

STA-

STANISLAVS ZBOROWSKI, Polonus.

Sodalis Collegij Ingolstadiensis.

DE hoc Adolescente, non minus Natalium splendoribus in Polonia Jllustrissimo, quam virtutibus Ingolstadij, vbi studijs operam dabat, eximio, ita scribit Pater Gaspar Lechnerus in *Sodali Parthenio*, lib. 1. cap. 9. Modestia morum, animique submissione eâ vixit, vt eum omnes in oculis atque animis ferrent. Amabat familiaritatem inire cum ijs, quos fortuna inferior, a reliquorum consuetudine reijciebat. Veste obsoletiore libenter vtebatur, & à Confessario sæpe adigi debebat, vt pretiosiores vestes pro familiæ honore tuendo, subinde indueret. Orandi studio & conscientiæ puritati impensè studebat, vt singulis hebdomadis culpas certò expiaret. Vnde factum, vt pridie quam è vita discederet, monitus, vt si quid animum solicitum haberet, foras proderet, vix leuem culpam repererit. Corporis edomandi multùm studiosus fuit, vt ferè nihil in eo genere ab aliquo gereretur, cui non se socium præberet; ac multo iam tempore, singulis Sabbathis a cœna abstineret. Denique cum & genus, & opes, & præclara indoles, in maximam spem eum ducerent; ille magnanimo iuvene dignissimum facinus aggressus est, cœpitque supra humana-

ſtre.

ire. Iamque in eo erat, vt abdicatis ijs, quæ nos imbelles animæ miramur, DEO ſe penitus in Religione emanciparet, cum à DEO Optimo ad ſtipendia potiùs accipienda, quàm promerenda evocatus, relicto magno ſui deſiderio, variolis ſuffocatus, è vita abijt, Ingolſtadij, Anno mortalis DEI hominis 1619.

STANISLAVS BRVDZINSKI, Polonus.

Sodalis Collegij Caliſſienſis, & Poſnanienſis.

ILluſtri ac pervetuſta in Regno Poloniæ, Paterna quidem Brudziniorum, Materna verò Ruſſociorum, vtraque Senatoria ortus ex Familia Staniſlaus, anno ſalutis noſtræ 1601. tenerioris curſum ætatis, non domi tantùm, ſed in Aula etiam Regia exegit: vbi Familiares nonniſi probatiſſimos admittens, prauaque exempla deuitans, innocentiam vitæ, morumque integritatem retinuit. Studiorum cauſa Poſnaniam, ac deinde Caliſſium miſſus, tàm in ludo literario, quàm in cœtu Mariano, omnibus ſuis commilitonibus fuit exemplar modeſtiæ, ſpeculum probitatis, lux & anteſignanus diligentiæ. Verrere ſolitus Oratorium Marianum, dixiſſe aliquando fertur: Se id non modò libenter facere, ſed etiam non aliud munus perpetuum in Sodalitate ambire, quàm eijciendi

di ſordes è loco Oratorij. Elucebat in eo vltra ætatem ſingularis morum maturitas, & animi ſemper in qualicunq; offenſa placidiſſimi manſuetudo, qua & aliorum impetus retardabat, & omnibus ſummè amabilis erat. Quinto ante morbum ſupremum die, in pervigilio SS. omnium, præmiſſo prius diligenti examine, conſcientiam generali totius vitæ confeſſione expiauit, ita puram ac innocentem, vt poſt eius obitum, teſtatus ſit ſacri fori iudex, ſe nullum in Stanislao noxam mortalem reperijſſe. Morbo deinde breui poſt correptus, inter atroces calculi, alioſque plures cruciatus, ita quietus vultu ac mente decubuit, nullum vt ei impatiens animi indicium, nulla vox eruperit, niſi illa, quà à ſuo Pædagogo frequenter vrgebat, vt pro ſe Eleemoſynam pauperibus erogaret. Creſcente in dies abſq; ſpe ſanitatis morbo, trina confeſſione innoxiam adornans potius, quam emundans animam, hoſpitem ad ſe in viatici ſpecie DEVM hominem, tanto ardore ac reuerentia ſuſcepit, vt vix etiam ſpirans, demiſſis tamen in terram genibus, abſq; vllo fulcro per horæ ferme dimidium, eum ſit præſtolatus, ac præſentem continuatis per horam integram veneratus obſequijs. Tum ad Matrem eius Virginem conuerſus, conſueta Sodalitati forma, ſe ipſum eidem in ſeruum perpetuum, etiam in ſupremo vitæ ſuæ termino deuouit. Et ſane expertus eſt ſingularem Matris Miſericordiæ opem, in periculoſo illo agone, bonus filius,

cum proximus morti sæpius similis responden-
ti ingeminaret: *Qui ego ista merui, Virgo Beatis-
sima? Non ego his dignus sum. Virgo Beatissima.
Ora pro me pijssima Mater.* Pridie mortis à quo-
dam quæsitus, quidnam cogitaret? conuersis ad
Christi Crucifixi imaginem oculis, respondit:
DEVM meum cogito: DEVM meum cogito.
Tum iterùm interrogatus, an mortem DEO ita
volente libenter obiret? placidissime dixit:
Libenter mortem de manu DEI accipio. Erga
sui quoque nominis Tutelarem B. Stanislaum
Kostkam religiosus, sæpe imaginem eius oscu-
latus dicebat: *B. Stanislae, tuum Stanislaum non
desere.* Atq; ita post vnius mensis infirmitatem,
sacro perunctus oleo, applicata etiam à Sacer-
dote sibi præsente, plenaria Indulgentia, & SS.
nomine IESV invocato, defixis in obiectam si-
bi sacram imaginem oculis, nobile Polonarum
Sodalitatum sidus, corpore & spiritu, in terris
ardere, & lucere desijt, Anno ætatis suæ 14. *Ita
testantur Annales Sodalitatis Calissiensis.*

Plures Athletas, illustria vel huius cœtûs ve-
stri Posnaniensis, sub Titulo sine labe Conce-
ptæ Virginis Matris, decora, in Palæstram hanc
deducerem, Sodales Mariani. Ex vestro enim
Albo ab anno 1602. prodiêre ad purpuram tres
Romani Imperij Principes, ad Antistitum in
Regno nostro Infulas 19, ad Palatinorum lati-
clauia 40 totidemq; ad subsellia Castellanorum,
ad Abbatiale Pedum 8. ad Cathedralium Eccle-
siarum Canonicatus 30. ad diuersas Religioso-
rum

rum familias ducenti propè, præter alios, quorum statum ac dignitates iniuria temporum in Album non retulit. Verùm coronidis instar sit coronatus in Iaponia Victor.

ALBERTVS MĘCINSKI. Sodalis Lublinensis & Posnaniensis.

INgens enimverò in Palæstra hac vestra virtutis nomen, cuius Albo inscribi postulauit Anno 1614. dum exterum lustraturus solum ac solem, ex Polonia abiret. De quo hæc strictim. Jllustrissimis Rosinis oriundus ille, prima statim ætate virtutibus vernare cæpit in Sodalitate Lublinensi, ac præsertim amore in magnam DEI Matrem, quam vnicum suarum necessitatum Asylum appellabat. Vltra consueta sodalibus pietatis opera, solenne illi erat, simulat à somni quiete, lectoque tacite relicto, horas rerum cœlestium meditationi tribuere, ac moderatorum vigilantiam sanctè fallere. Hinc vultum eiusdem perpetuus virtutis comes colorabat verecundia, totum verò corpus modesta compositio. Inter sermones promebat sæpè æstus illos votorum, quos altero nonnisi in orbe limphis restinguendos, accenderant illustres Martyrum Iaponensium triumphi, in cœtu sodalitatis celebrati. Deliberabat iam de proposito vitæ, cùm subito mendiculi in platea vo-

cem accipit, illud Dauidicum occinentis, *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Quo velut œstro percitus, Societati IESV nomen dare in animum induxit sed enim mentem hanc varia eripiebant illi lenocinia mundi, furores Orci, per ædes, quas inhabitabat, toties obstrepentes, imò & matris, quæ alapâ impressâ, constantiam adolescentis expugnare volebat, ad primum de pio vitæ proposito nuntium. Verùm omnia hæc, loricatus seipso, ille virili superauit animo. Ergo Romam tandem à morte parentis aduolat ad Tyrocinium Societatis IESV, vbi laxatis pietatis in cœlorum Reginam habenis, inter paucos eximius apparuit. Nouis ijsque perauguſtis exornare Eam titulis, iconem Illius ad ædes D. MARIÆ Maioris, eminùs de genu venerari, Festa Mariana, octiduanâ corporis afflictione præuenire ac subsequi, in emaceratos frequentibus ieiunijs artus sæuire, omnibus virtutibus excolere, capacissimam omnium mentem, primæ tum Mæcinij erant curæ. Ergo tanto virtutum pabulo auctæ, veteres Iaponici martyrij flammæ, in apertum erupere incendium. Impetrata magno votorum ambitu à Præposito Societatis Generali Iaponica Missio, enauigata longissima maria, tolerati apud Hollandos durissimi carceres, immensi labores viarum exantlati, tandem adita votorum apex Iaponia, ipsumque Nangazachium, terminalis limes vitæ ac laborum. Centies ibi & amplius, magna vn-

dæ

dæ copia, in os supinatum, atque viscera, Heroi Europæo ingesta, iterumque admotis tabulis medullitus expressa. Septem deinde diebus, omnibus vitæ præsidijs destitutum, imò omnibus enectum Iaponicæ crudelitatis pœnis, furca ac fouea aquis putidis stagnans præfocabat, donec tandem victorem spiritum exprimeret expromeretque cœlo. Sic Mecinius è vitæ naufragio, æternitatis fortunatas insulas attigit, cœlumque in vndis, relucens per suam imaginem, re ipsa beatus comprehensor obtinuit, magnus Heros Palestræ Marianæ.

Ad Maiorem Dei Gloriam,

B. V. M. H.




Pro-



Proteſtatio Authoris.

Quæ narrantur in hoc libello de vitâ & virtutibus quorundam B. Virginis Sodalium, & Miracula, Prophetias, Reuelationes, aliaque huiuſmodi ſapiunt: humana duntaxat authoritate, non autem Diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedis nituntur, atq; ita fides ſit penes Authores, iuxta Decretum Urbani VIII. 9. Junij. u 1631.



SYL-



SYLLABVS CAPITVM.

Caput



Concluditur ars, Sanctè vivendi & moriendi.



8 – 1



